

## AD MELANCHOLIAM.

Pro Docto iuvene Iacobo Marchesello.

Ariminensi.

## Consilium XVI.



Rudens, & Doctus Iuuenis Dominus Iacobus de Marchesellis Ariminensis, temperatura melancholicæ factæ, per adustionem naturalis melancholiæ, ut extant signa ab habitudine corporis sumpta, uidelicet liuidus color uergens in quendam nigredinis gradum. Cum pilorum nigredine, & aliquali crispitudine ob siccitatem sequentem humoris melancholici adustionem, pariter & bilis, a qua sua temperatura non est immunis, & his copulantur indicia ab animi affectionibus sumpta, uidelicet, cogitatio multa & fixa, cui cogitationi sæpius nihil in re ipsa respondet, ex qua etiam contingit mæror, tristitia, timor, atque ploratus, absque manifesta causa, & ubi ab hominibus corrigitur, tædio afficitur tunc temporis, licet paulo post mutata consideratione ad lucidum deueniat interuallum, ob sanguinis benignitatem remittentem gradum melancholiæ adustæ. Quo fit, ut doleat ipse tali reprehensione fuisse, admonitum, non potens quippe illi obtemperare, cum hac igitur temperatura Doctus hic Iuuenis corripitur melancholia morbo, orta quippe a melancholia naturali adusta, & quoniam adustio naturalis melancholiæ ab epatis nimia caliditate oritur agente in humores epatis, ex qua actione eleuantur fumi ad cerebrum eliquantes humiditates cerebri, & inde irruentes ad inferna corporis, propter hoc etiam corripitur catarrho malam affectionem scilicet lassitudinem, doloremque fere in omnibus membris infernis



C O N S I L I V M

fernis causante. Et his affectionibus a nobis ipse petit salu-  
taria præsidia, quibus ad sui sanitatem deuenire ualeat.  
Nos igitur honestæ suæ petitioni obtemperantes morem  
geremus, ut fiat sui uoti compos.

Dico igitur ipsum debere regi uictus ratione prohiben-  
te generationem humoris melancholici, & non augente  
epatis caliditatem, a qua aduultio in humore melancholi-  
co oritur, & fit præparatio descensus materiæ à cerebro ir-  
ruentis ad membra inferna, uergat igitur illius dieta ma-  
gis in humidum, & ideo aer illius humidus sit naturali-  
ter, uel artificialiter. Et aer calidus, & siccus excellenter eui-  
tetur, & utatur ad nares rebus boni odoris, & non acuti, &  
fortis, cibi sint humectatiui, & laudabilis nutrimenti, ut  
sunt oua sorbilia, carnes hædorum, agni, & pullorum gal-  
linaceorum, & uituli, & castrati unius anni, & non sint car-  
nes adeo humidæ, ut illius caro tenerescat, caro igitur ani-  
malium in paludibus, & aquis morantium euitetur. Et pa-  
nis eius sit recens duorum, uel trium dierum, & de optimo  
tritico. Caueat a carnibus bubulis, & animalium sylue-  
strium, & a caseo, a leguminibus, & caulibus, Euitet uinum  
nigrum crassum, & turbidum, & nouum, bibat uinum al-  
bum, & clarum, caueat ab omnibus rebus falsis, & acri-  
bus, & uitet ea, in quibus est magna aciditas, & utatur bora-  
gine supra oēs herbas, & utatur aliis herbis humectatiuis.  
Et plus dormiat, quam uigilet, uigiliæ tamen superflue  
euitentur, & euitet exercitium superfluum, & coitus super-  
fluus, & sudor non conuenit, sed balneum aquæ calidæ cõ-  
uenit, dum non sudet, & delectetur audire res iucundas,  
ut sonos, cantilenas, & huiusmodi.

Item Dico, Quod melancholia antequam confirmetur  
est facilis curæ. Ideo primo purgetur æger purgatione le-  
ui, quam minoratiuam dicimus, sequenti medicina.

Recip. Diasenæ lenitiui. drach. vii. confectionis hamech.  
drach. ii. fiat bolus cum zuccharo.

Sequenti



Sequenti die capiat per septem dies continuos in dilu-  
culo sequentem syrupum superdormiendo.

Recip. syrupi de succo boraginis, syrupi sapor regis, sy-  
rupi uiolati, syrupi de betonica. ana. Vnc. med. Aquarum  
boraginis, uiolarum, cicorii. ana. Vnc. i. misce.

Octaua uero die capiat sequentem medicinam, per ho-  
ram ante lucem.

Recip. Diasenæ lenitiui. Vnc. med. specierum ieræ sim-  
plicis, drach. i. & med. Ellectuarii hamech. scrupul. iiii. Elle-  
ctuarii succi rosarum, drach. i.

Dissoluantur omnia cum decoctione comuni florum &  
fructuum, cum qua bulliant folliculorum senæ, poly podii  
quercini ana. drach. ii. & fiat potus.

Purgato corpore consulo, ut per decem dies continuos  
mane ante prandium per tres horas capiat, drac. ii. sequen-  
tis ellectuarii.

Recip. Ellectuarii nostri preciosi. Vnc. vi.

Postquam purgationem etiam laudo, ut ter in septima  
na in aurora capiat sequentem potum.

Recip. Epithimi in pollinem redacti. drach. ii. dissolua-  
tur in aqua distillationis boraginis, & fiat potus. &c.

Hæc purgatio sit tempore autumnii, & sic debet proce-  
dere per totum tempus hybernum, capiendo omni men-  
se per decem dies cōtinuos ellectuarium dictum, cum po-  
tu præscripto.

Aduentante uero ueris tempore, consulo, ut a' princi-  
pio eius præcedente lenitione uentris cum cassia fistula,  
sic. &c.

Recip. Floris cassiæ nouiter tractæ, drachmas decem,  
fiat bolus cum zuccharo, & ipsum capiat per horam an-  
te prandium. Mittatur sanguis primo ex saluatel-  
la sinistrae manus, & hinc ad duos dies aperiantur hæ-  
morrhoides, extractione sanguinis quattuor unciarum.  
& cet.



Deinde uerò rursus digeratur materia sequenti syrupo,  
eo continuato per septem dies.

Recip. Syrupi de lupulis, syrupi de fumo terræ, syrupi  
uiolati, syrupi de epithimo. ana. Vnc. med. Aquarum bora  
ginis, betonicæ, uiolarum. ana. Vnc. i. misce.

Octaua uerò die per horam ante lucem capiat sequen  
tem medicinam.

Recip. Decoctionis mirabulanorum indorum, boragi  
nis, & senæ, & polypodii, Vnc. iiii. cum qua dissolue confe  
ctionis hamech. drachm. iii. epithimi redacti in puluerem,  
drach. i. & med. & fiat potus.

Demum uerò per totum tempus ueris omnibus tribus  
diebus capiat de electuario nostro præcioso. drach. ii. & su  
per bibat haustum aquæ uiolatæ.

Per totum uerò tempus æstatis lætè uiuat, & iucundæ,  
& omnibus duobus diebus in aurora bibat sequentem  
potum.

Recip. aquæ uiolatæ, aquæ boraginis. ana. Vnc. ii. Iulep  
uiolati. Vnc. i. misce.

Aliis uerò diebus, quibus non capiet potum, fumat se  
quentis mixturæ. drach. ii.

Recip. Pliris sarcoticon, diamusci dulcis, ana. Vnc. iii.  
zucchari uiolati, diaboraginati, ana. Vnc. iiii. misce, cum sy  
rupo uiolato fiat mixtura.

Caveat à Balneis thermarum mineralium, & bibendo,  
& balneando, cum corpus exsiccet, & sudorem proquo  
cent, & debet sudorem cauere, & ubi molestaretur catar  
rho, tunc laudo Duciam dictorum balneorum, & caute  
ria in cruribus, aliter in casu suo ea balnea blasphemò, &  
cauteria, & cet.

**FINIS.**





## AD ASTHMA,

Pro Liuia Nobili Puella,

Ad Ferrandum Tiencum Patrem

Excellentem legum professorem.

Nobilem Vicentinum,

## Consilium XVII.



Peræprecium esse duxi Doctor excellens in affectu riuulos naturæ excedere, atq; admodum periculosiore Filiolæ Tuæ Dilectissimæ uerba facere. Et in primis eius temperaturam ignaris medicis sensu ipso atque speculatione notam efficere: Quem sane modum

feruare debere nos edocuit Galenus libro primo, de dyspnæa, ad principium, & secundo de temperaturis, capite sexto, & libro primo, ad Glauconem, capite primo, & octauo methodi curatiuæ, capite nono. Quem usum latiori sermone expleuit Auicenna quarta primi, capite primo. At quoniam ob antiquatam iam affectionem filia tuæ naturalis temperaturæ indicia e' luce ad tenebras prodire, auctore Galeno nono, methodi curatiuæ, capite decimo quinto. Difficultatem naturalis temperaturæ indiciorum notioni adiungente non ab re mihi suadeo, quæ sunt mente reposita, prolixiori experimento, & ratione à me comperta, atque comprobata silentio præterire, ne uituperorum dispuntorio, cuspidatoq; cauterio, ac uenenofo aculeo præcipitanter, & inaccurate perfodiar, & dispungar. Quippe iussit hoc Galenus primo, de diebus decretoriis non longe à fine, ubi ait. Porro si nihil in ipso certi præfagire possimus, satius est tacere quàm temere pronuntiantem falli. Quippe quoniam de eius temperaturis exquisi-



tam habeo Doctrinam, ab his filia tuae affectionis metho-  
dum curatiuam aperta ratione sic conducam.

## A E G R I T V D O .

**E**Xplorato itaque illius morbo, tuam cōperii filiā Asth-  
matica dispositione affici. Crebro, n. anhelitu, qualis  
currentibus accidit, aut quouis alio modo ad uehementē  
ductis motionem laborare eam, nullus ambigere potest,  
Asthma enim id est, auctore Galeno tertio aphorismorū,  
commento uigesimo sexto, & sexto aphorismorum, com-  
mento quadragesimo sexto. Dicente, cum multæ sint spi-  
randi difficultates solam illam Hippocrates, asthma cōsue-  
uit nominare, in qua contingit satis anhelitum crebrum  
fieri, & in libro de diffinitionibus medicis, ubi ait. Asthma  
est uehemens respirandi difficultas, & septimo, de compo.  
med. s. l. capite tertio, dixit Galenus. Eos qui absque quod  
febriant, respirant frequenter, sicut qui currunt cito, con-  
sueuerūt nominare medici asthmaticos, & nihil huic quod  
a Galeno dicitur, noui iniunxit paulus ægeneta tertio, me-  
thodi medendi, capite uigesimo nono, ubi ait, Eos, qui sine  
febre crebra respiratione, tanquā a citatiore cursu afflictā-  
tur, ab eo, qui comitatur, & præsto est confestim anhelitu,  
& suspirio asthmaticos nuncupant. Neque aliud attulit  
Auicenna decima, fen. tertii, tractatu primo, capite trigesi-  
mo octauo, ubi ait, Asthma est ægritudo pulmonis, cū qua  
patiēs quiescēs nō inuenit excusationē ab anhelitu frequē-  
ti, sicut est anhelitus, quo laborat præfocatus & festinatus.  
Nempe, uir docte, non latuit te puellam tuam dilectam  
crebro anhelitu, & suspirio, diu, fere non intermittentibus  
laborasse, ut quales currentibus accidunt. Quæ si ad uehe-  
mentem ducatur motionem, confestim frequenti anhelitu,  
& suspirio, ut in præfocato afflictatur. Quippe cum su-  
pina cubat, ei deterius est, cum autem sedet, uel erecta stat,  
est ei melius. Indicia enim ex genere Asthmatis hæc sunt.  
Auctore Galeno septimo, de compo. med. s. l. capite tertio

Neque



Neque curiosiorē a me expectabis sermonem, quo distant asthma, Orthopnoea, & dyspnœa. Clare enim hoc comper tum est, a Galeno quarto, de locis affectis, capite octavo, & primo libro, de dyspnœa, capite primo, & secundo, & septi mo, de comp. med. s. l. capite tertio. Quippe si usitato com muniter nomine uti uelimus, cumq; tres huiuscemodi af fectiones spirandi difficultatem non fugiant, omnes Asth maticos id est difficiles anhelationes has affectiones dice re non dubitabimus, hoc namq; modo utitur Galenus, in libro de diffinitionibus medicis, ubi ait. Asthma est uehe mens respirandi difficultas, infertque dyspnœam, putredi nemq; &c. Quod si de uno quoque nomine coniectari ue limus proprie, puellam hanc asthmaticam dicemus. Cre bra enim anhelatione, qualis currentibus accidit, laborat. Dixit hoc Galenus sexto aphorismorum, commento qua dragesimo sexto. Quippe eam pati orthopnoeā uolumus, cum afficiatur eo quod dixit Galen. vii. de compo. med. s. l. cap. iii. sic & Paulus. Eisdemq; propterea quod strangulari formidantes, ad respiratiōē recta ceruice, rectoq; toto pe ctore nituntur, orthopnicos dicunt. Cumq; dyspnœæ nomē a nocumento respiratiōis dicatur, siue solā spiritus inspi ratiōē, siue & una expiratiōē promat, eandem uolumus puellā dyspnœica affectiōe molestari, & hoc edocuit nos Galen. primo, de dyspnœa, cap. i. At quoniam has oēs affe ctiones ad unum curationis caput, & eisdem medicamen tis conduxit Gale. vii. de comp. med. s. l. cap. iii. & Paulus. iii. meth. cura. cap. xxix. & Auic. x. iii. tractatu. i. cap. xxxviii. igitur de nominum distantiis modicam habēdo sollicitu dinem, ut iussit Gal. i. Terrapeut. cap. vi. & i. de locis affectis cap. iii. ad id, quod nostrum est, me transferam. &c.

## CAUSAE, ET NOTAE.

**Q**uoniam autē affectio tollitur ex abolitione causæ eius, auctore Galen. iii. de locis affectis. cap. i. ubi ait. Atq; ablata re, quæ nocuit, protinus conquiescit affectio, & eiusdem



eiusdem mentis est Galenus, undecimo methodi curatiuæ non longè à principio, & secundo aphorismorum, commento uigesimo secundo, & tertio artis medicinalis non longè à principio. Ob hæc igitur initium methodi curatiuæ, erit in abolitione causæ, qua Asthmatica affectiōe puella hæc laborat. At quoniam sermo Galeni est primo artis curatiuæ ad Glauconem, capite primo, ubi ait. Tunc enim optime morbum curabis, cum causam, & eius tempora cognosces, & idem uidebis à Galeno secundo, methodi curatiuæ, capite quarto, & tertio libro prædictionum, commento trigesimo nono, ob hoc affectionis huius asthmaticæ exquisitè causas uenari non denegabo.

Non itaque latet me præsentis affectionis, & alterius consimilis causas adfuisse tres, procathartica scilicet præcedentem, atque coniunctam, ut nos Galenus edocuit in libro de Diffinitionibus medicis, & in libro de causis morborum non longè à principio, & in libro artis medicinalis, capite octogesimo octauo, & primo prædictionum, commento tertio. At quoniam procathartica causa euidentis est & extrinsecus perturbans, ut Galenus his in locis dixit. Igitur huius affectus euidentem, & primariam causam, ut ex patientis confesso accepi adfuisse, iniunctum impedimentum solitæ spontaneæque euacuationi, fœdæ materiæ, quæ ex cuti illius puellæ capitis, expurgari diu & affixe consueuerat, medicamentis ab Empirico inaccuratè adhibitis, cū cutim capitis astringentibus, tum reuellentibus ad spirandi particulas, materiam ad contrarium sponte expurgari assuetam, propterea & spirationis crebra difficultas illi ingesta est impletis bronchiis pulmonis, quibus idonea pulmonis dilatatio facile impeditur. Quippe hunc curationis modum Galenus ueluti noxium corpori nostro dā nauit, primo aphorismorum, commento uigesimo primo, ubi ait. Oportet itaque medicum naturæ motum animaduertere, & si quidem idoneus fuerit, ei conuenit adminiculari



niculari. Si uero contrarius, & noxius hunc prohibere. Quippe iam dixit, & conducere conuenit, ad quem locum ex conferentibus uergit. Sanè Medicus hic ignarus, cum opinatus fuerit morbum sanitati conducere, humorem noxium mouit ad utilia loca, & maius ex illo damnum subsecutum est. Præcedens uero causa affectionis asthmaticæ filiolæ tuæ, ut arbitror est, pituitosi humoris abundantia, uel in toto, uel in parte corporis, apta ad instrumenta spirationis condescendere, uel dispositio, qua natura apta est illum concreare humorem, & à capite permaxime. Galenus enim huius præcedentis causæ sermonem habuit in libro de causis morborum, ubi ait, eas igitur quæ in animali ipso consistunt, siue affectus sint, siue motiones præter naturam, causas nominant morbum præcedentes, & in libro artis medicinalis, capite octogesimo octauo, ubi ait. Prohibetur sublata ea dispositione, quam sequi natura apta est. Talis uero dispositio causa antecedens appellatur. Sanè & hæc antecedens causa à capite permaxime profluit, auctore Galeno tertio aphorismorum, commento uigesimo sexto, ubi ait. Asthma ob angustiam eorum, quæ sunt in pulmone uentriculorum accidit. Hæc uero angustia fit repleto uiscere ab iis, quæ desuper ueniunt fluxionibus, & eodem libro, commento trigesimo primo, dixit. Asthma uero, hoc est crebri anhelitus ex capite distillationibus ortum habent. Indicia autem huius præcedentis causæ sunt ex puellæ ipsius assensu confitentis se a morbo leuari percipere, cum à capite profluuio pituitosæ materiæ non occupetur, quippe eo laborante, sputaminibus ipsis, & mucorum excretionibus admodum releuatur. Atque huius indicium uigorem capit, cum sensu quisque dignoscat, turbecula in submaxillis locis puellæ ipsius apparentia, pituitoso humore impleta, tum nuper creari, tum creata delitescere. Quippe indicium huius causæ certius quisque sumet, si opinetur procatharticam causam ortum habentem



habentem ex capite præparare, & adiuuare ad hanc præcedentem causam, iuxta illud Galeni in libro de definitionum medicarum. Præcedens causa est, quæ a procathartica præparatur, & adiuuatur.

Coniuncta autem huius morbi causa est, quæ cum sit præsens, confestim morbus est, cum uero desinit, etiam morbus euanescit, uerba hæc sunt Galeni in libro de definitionum medicarum. Quam ob rem Asthmatis filia tuæ causa coniuncta est præsentia multæ pituitæ in uis anhelitus, & maxime pulmonis, ut est sermo Galeni tertio aphorismorum, commento uigesimo secundo, & trigesimo primo, & septimo, de compo. med. s. l. capite tertio. Quippe non inflammatio, quoniam febre non laborat, & inflammationis membrorum spirandi inseparabilis casus est febris, auctore Galeno quinto, de locis affectis, capite secundo, & libro introductorii medicorum, capite decimo tertio. Nempe non siccitas substantiæ pulmonis, quoniam omnino sputis priuata foret, auctore Auicenna decimo tertii, tractatu primo, capite trigesimo octauo. Sane tamen non ab re foret flatum quendam huic morbo iungi, uelut concausam comitantem illius essentiam, iudicare. Debili enim calore membrorum facultatis spirandi, plerumque pituitæ aqueum in flatum uertitur, ut docuit nos Galenus, quinto aphorismorum, septuagesimo secundo, ubi ait. Fit autem hoc scilicet uenti generatio nonnunquam quidem ob debilitatem, & partium ad uentrem attinentium imbecillitatem, nonnunquam uero ex pituitoso, & frigido humore. Ex his igitur in unum omne genus causæ redigendo sermonem, dicam. Quoniam procathartica causa præcedentem præparat, & præcedens cum figitur morbus est, igitur affectionis huius asthmaticæ puellæ, tres adesse causas arbitramur. Vna quidam procathartica abolitio solitæ purgationis. Altera fluctio ab his, quæ desuper sunt ad membra anhelitus. Tertia uero præsentia pituitosa



sa materiae in membris facultatis spirandi, & permaxime, in bronchiis, uel uenis pulmonis, cui flatus consocia causa adminiculatur.

Altius autem exordiendo, cum coniuncta causa sit qua doque uitio membri laborantis, quandoque uero per consensum ab altero membro, id docente Galeno tertio aphorismorum, commento trigesimo primo, non mentiar si dixerim puellam asthmate laborare. Tu uitio pulmonis, tum consensu particulae tribuentis. Et hanc attulit sententiam Galenus, eo in loco, ubi ait, asthmata uero, hoc est crebri anhelitus ex his destillationibus ortum habent, cum alioquin, & ipsa spirandi instrumenta non raro habeant proprium sui algoris principium, quando & in ipsis multae, ac crassae superfluitates generantur.

Sed rogabis me forsitan doctor excellens, si instrumenta spirandi filiae meae, & permaxime pulmo, uitiantur abundantia pituitosae materiae, quae in his generatur, & iterum fluctione ad ea, ab his, quae sunt desuper, quonammodo ea omnino a tussi absoluitur. Quippe cum a tussi absoluitur, & a materia tussim excitante in pulmone omnino absoluetur. Igitur huius puellae coniuncta asthmatis causa, non erit praesentia pituitosi humoris in bronchis pulmonis, & minus fluctio materiae a capite ad pulmonis bronchios. Quippe satius te dicere autumo, coniunctam causam affectionis filiae meae esse siccitatem substantiae pulmonis, quam non comitatur tussis. Huic dicerem interrogationi tussim non esse de casibus inseparabiliter comitantibus asthma, aperuit autem istud Galenus, tertio aphorif. com. XXVI. & XXXI. & VI. aphorif. XLVI. ubi loquens de asthmate in eius existentia nullum de tussi sermonem habuit.

Sane igitur dicendum puto, multam pituitam in pulmone genitam. i. in uenis pulmonis crebrum anhelitum creare. Tussim autem minime. Quonia plerumque accidit materiam illam ad asperas arterias non attingere, Quo in loco



Tussis excitatur, auctore Galeno, libro secundo, de causis symptomatum, & quinto de locis affectis, capite secundo. Erit igitur filia tua Asthmatica ob crassos, & uiscosos humores in uenis pulmonis genitos, ubi idonea pulmonis dilatatio impeditur, anhelitusque difficilis redditur, & non tusficulosa, cum illorum humorum pars non perueniant ad asperas arterias.

Sed iterum peteret doctrina tua, si fluctio humorum ab his, quæ sunt desuper ad pulmonem est præcedens causa asthmatis filia meæ, utique ea sine tussi stare non poterit, cum fluctio huiuscemodi asperam permeat arteriam, dico quod non debet te latere humorem asperam arteriam permeantem, non ideo tussim concreare quoniam permeat, sed quoniam mordicat, quo fit, ut uirtus stimulo afficiatur, & motu tussis, ad expellendum excitetur. Et hanc attulit sententiam Auicenna fen. quinta tertii, tractatu primo, capite undecimo, non longe a uerbis Galeni quinto, de locis affectis, capite secundo. Confesso autem habui à laborante puella fluctuantem huiuscemodi humorem nullum mordacitatis indicium obtinere, nedum punctiones aliquas in instrumentis spirationis, Quo fit, ut quisque iudicet humorem eam afficientem per magis quantitate, & substantia, quàm suæ qualitatis acumine noxium esse. & cet.

## P R A E D I C T I O N E S.

**P** Ræterea quæ iam a nobis longa speculatione dicta fuerit, præsentaneum esse duco, uir excellens. Quippe neque desiderio tuo alienum puto si affectionis terminum filia tuæ prædicere, bonum, aut malum exactè expedierim præsertim cum sermo apud Galenum sit libro primo, de ratione uictus acutorum, commento tertio, ex Hippocratis testimonio in præfatione libri prædictionum, prænotationem ipsam ad affectionum curationes admodum commodam esse. In primis igitur prædicam, Asthma filiam  
tuam



tuum perturbans, curationis admodum difficilis esse, atque magno, celerique indigere auxilio. Quoniam autem diutino tempore puella eo afflicta morbo, ei ueluti habitus factus est, & simpliciter morbus, cuius uehementi cum difficultate abolitio erit, auctore Galeno libro primo, artis medicinalis, & in libro ad bonas artes exhortatio, dixit Galenus. Siquidem habitus est affectio quædam stabilis, ac perpetua iterum quoniam femellis asthma raro accidit, relatu quidem ad uiros, huius testis est diuinus ille Mesue. Quiete enim humorum in foeminis hi ad particulas difficulter fluctuabunt. Quippe fluctuantibus iis ad membra anhelitus aiunt quidam, Quiete consimili ab his eos difficile mouere contingit, Quibus non assentiens Mesue dixit & in foemellis facilius est cura, quam in masculis, & tu considera. Iterum ni fallor dixit Galenus secundo aphorismorum, capite quadragesimo. Asthmata, tusses, recuruationes, & quæcunque alia morborum genera ex frigidis humoribus ortum habent, quæ in quibusdam iuuenibus nedum in senibus difficulter coquuntur.

Nempe te meminisse uelim eo in tempore, quo filia tua uehementius asthma afflicta, omnes eius thoracis partes considerare. Cum itaque inspexeris omnes moueri simul, ut pectus una cum scapulis manifestè subleuetur, tunc coniectari poteris huiuscemodi motionem una trium causarum effici necesse esse, aut uirium imbecillitate, aut uiarum spiritus angustia, aut uehementi in corde, & pulmone calore. Quod si uirium imbecillitate id affuerit, indicia hæc erunt. Virtus inquam omnes thoracis partes sensim mouet, sed neque frequentem, neque raram omnino facit actionem: proinde non ita multum omnes thoracis partes dilatare potest. Hoc quoque accedit, quod spiritus calidus, aut feruens nequaquam exufflando producit, proinde nulla ab ore facta exufflatione ex solis naribus emitti solet. Quod si per inspirationem in filia tua narium pinna



contrahi uideantur, id præ aliis, efficax prostrati roboris indicium autumnabis. Atque si his uniuersim puella afflictaatur proximam mortem timere oportet.

Si uero ob angustiam spiritalium instrumentorū asthma fieri contingat, indicia hæc erunt. Totus quidem thorax magna ex parte, & celeriter, & frequenter dilatatur, & eam tunc non omnino exufflātem dignosces. Quinimmo à me compertum est filiam tuam fortè neque totum attollere thoracem, at neq̄ calidum spiritum exufflando, neque frigidum emittere solet, quo fit, ut uires robustæ, & constantes in ea permanere possunt. Vnde sperandæ salutis à nobis non fugiat indicium.

At si & angustia, & calor una simul puellæ molesta essent, comperies, quod neque maxima, neque frequentissima, neque etiam celerrima spiratio sufficere poterit, sed ipsa labore affecta surgere tentabit, sentietque hoc pacto thoracem facilius dilatari, quippe si ita acciderit celerrimè suffocari posset. Totus hic præcedens sermo est Galeni quarto, de locis affectis. capite octauo.

At sane, uir docte. Cum filiam tuam exquisitè petierim nō omnes thoracis partes, inordinato, & celeri motu una simul moueri comperii, neque potioribus signis asthmatis exitialis, quorum meminit Galenus quarto, de locis affectis, capite octauo, eam affici diiudico. Quippe Iouem adiuro si nostræ artis præceptis obtemperabit, nedum futuram deuitabit peripneumoniam, at & phthisim, in quas affectiones facile timuit Galenus quinto, de locis affectis capite secundo, & Auicenna decima tertii, tractatu primo, capite trigesimo octauo. Asthma diutinum permutari posse: sed luce illius fulgente, qui nostri corporis uires gubernat, indubitatam salutis spem proculdubio adipiscetur. Neque sententiis eorum te horrere uelim, qui filiam tuam solis prognosticis reliquerunt, quoniam ad pauca pensitates facile enunciarunt, auctore Gal. I. prædictionū libro. &c.



## CVRATIO.

**A**ffectiōnis asthmaticæ curationis scopus, auctore Galeno in libro de partibus artis medicatiuæ, summa secunda, capite secundo, & in libro experimentorum, capite ultimo, uno trium perficitur instrumentorum, uictus ratione. Medicamentorum potatione, atque manuum operatione. Alludit autem his Auicenna quarta fen. primi, capite .i. ubi ait. Res medicationis una trium rerum completur. Diæta, medicinarū exhibitioe, & manuali operatione.

Idcirco doctor excellens, filiæ tuæ Asthmate laborantis curationem, omnium trium instrumentorum exercitatione exactè perficere conabor, ut nostris medicamentis superiori lumine adiutis, ea ad illam, quam iam habuit sanitatem, cōducatur. At quoniam eorum omnium nobilissimum instrumentum uictus ratio censetur à Galeno, in libro experimentorum, capite ultimo, cui medicus in primis debet adhærere, auctore Galeno undecimo, methodi, capite quinto. Sane igitur à uictus ratione curationis methodum, principium aggrediendo de aere primo sermonem faciam.

## DE AERE.

**A**dmodum enim ab aere nos ambiente corpus mutatur, ut uoluit Galenus tertio, artis medicinalis. commento decimo, & undecimo, & tertio, methodi curatiuæ, capite octauo, & nono, methodi non longe à fine, ubi ait. Ambiens uerò is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest. Et primo libro, de tuenda sanitate non modicam expedit uim Galenus ipsius tuendæ sanitatis in boni aeris electione.

Nempe igitur puella tua longe fugiat crassum, & nebulosum acrem, clusumque, nullum recipientē perflatum, iuxta illud Galeni libro primo, de tuenda sanitate. Nec qui ob stagnum, uel flumen uicinum nebulosus est, nec qui editis undique montibus, in cauo loco clusus, nullum recipit



recipit perflatum, suffocans enim putrisque est. Proinde accurate locum domus sibi conducatur, in quo non sit inclusus aer, perflatus defectum sustinens, ob illud Galeni uerbum eodem libro similis ei, qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum plurimus aceruatur situs: Huiusmodi enim aer omni plane ætati est noxius. Proinde quoque & fumo, uel puluere affectus aer prohibeatur: Cum enim membra spirationis intrat, spirandi facultatem tollit, ut uiarum spiritus clausione, asthmaticus suffocari uideatur: Atque aerem humidum ualde fugiat, qui & stagni, & paludis halitu est infectus, & qui ex cloacis malam spirat auram: Et qui ex animalium, & olerum, aut leguminum putredine uitium contraxit, aut fimo coinquinatur, summa cum diligentia euitandus est aer, pulmones etenim lædit, & spirandi facultatem opprimit, auctore Galeno libro primo, de tuenda sanitate.

Sane igitur purum aerem & clarum sibi conducatur, atque subtilem, ne impuritate, & crassitie spirandi uires obnubilet, auctore Galeno eodem in libro dicente.

Idem de aere iudicandum, quem optimum in pulmones trahere, omnibus salubre est, optimum aerem censeo, qui prorsus sit purus.

Quippe calidus sit, & siccus, non admodum quidem, edocuit enim nos Galenus, quinto aphorismorum, commento uigesimo quarto, frigidum partibus thoracis inimicissimum esse, & ex capite distillationibus thoracem offendit, atque pulmonem. Non ab re igitur iuberem moderato calido caput suum munire, atque thoracem. Cum dixerit Galenus, quinto aphorismorum, commento uigesimo secundo. Calor uero extrinsecus facit hæc omnia, quæ dicta sunt, & in capitis dispositionibus facit hæc eadem, id est capitis grauitates sanat, concoquens, atque dissoluens quæcunque molestant, & non sit aer ultimo siccus.

Asthmatis



Asthmatis enim prohibet curationem, auctore Galeno septimo, de compo. med. s. l. capite tertio. Eius inquam curatio est sputi facilitas, quæ ab immoderato sicco abolitur. Nempe igitur si natura aer calidus, siccusque defecerit eo in loco, quo puella moram trahit, aut hybernum adfuerit tempus, leuibus aromatum suffitibus utatur, dum capitis grauitas puellæ molesta non fuerit dicente Galeno primo aphorismorum, commento uigesimo octauo, illius aphorismi. Suffitus aromatum muliebria ducit &c. Quod uerò omnia aromata natura apta sint facere capitis grauitates, & experientia ostendit, & ratio docet, &c. Considerabis quod à me dicitur leuibus suffitibus, quippe cum aer multo affectus fumo Asthmaticis noxius sit, a fortibus cauendum est aromatum suffitibus, namque si ei nocuum erit, quod de fumo ab aromatibus exit. Sola aromatum præsentia in loco mansionis suæ contenta sit, ut quod de odore ab aromatibus expirat, quæ sua ui aperiunt uasorum obserata extrema, & humorum crassitudinem extenuant, & omnibus frigidis & humidis dispositionibus corporis profunt, auctore Galeno eodem in loco. At aromata hæc sunt, cinnamomum, gariophyllorum, Macis: ambra: lignum aloes: cortices citrii, arantiæ, & huiuscemodi. Quod si eidem pergratum fuerit clarum ignem inspicere, & permaximè hyberno tēpore, sit ex lignis rorismarini, iuniperi, lauri, quippe si ex ligno terebinthi, & seu terebentinam concreante, uel ex illo, quod usitato uocabulo lignum laricis appellitant, ignis exacendatur, proficiuus admodum hic erit ignis, quoniam sui natura aptus est membra thoracis, & anhelitus ad rectitudinem naturæ conducere, auctore Auicenna secundo canone, capite. CCCX.

## DE PANE.

**P**anis electionem sic habeto. Porro si uerbum Galeni primo, de alimentorum facultatibus inspexerimus, capite



pite secundo, illius panis confectio ex solo tritico habeatur. Ipsum enim nedum apud omnes nationes frequentissime, immo summa cum utilitate usurpatur, auctore Galeno ut supra. Longe igitur fugiat panem ex hordeo confectum, Quoniam asthmaticus affectus, cum calido aperiēte, & spirandi facultatem facilem reddente, tum pituitosum ad intra bronchios pulmonis humorem obserantem facile soluente, eget, hoc sane compertum est denegari ab hordeo, primo de facultatibus alimentorum, capite sexto, dum dixit Galenus uerbum hoc, nulla igitur apparandi ratione hordeum unquā calefacit, sed uariē pro modo preparationis nunc humectat, nunc desiccatur. Quippe si ex hordeis panis noxius sit, indubitanter ex aliis granis panis confectus, denegabitur, soli enim tritico ex granis natura calida, temperies uerō in humiditate, & siccitate debetur. Quā ob rem exigua mole corpus ualentissime nutrit, auctore Galeno in libro alimentorum, capite secundo, & Auicenna secundo canone, capite. CCL. ubi dixit, frumentum corporis magis est nutritium, omnibus granis. Quippe cum minus flatuosus sit triticeus panis, atque ipsius alui excrementa minus eiiciat, ut Galenus eodem in loco. Quod sane asthmaticis permaxime opitulatur igitur & ipsis triticeum panem conuenire dicimus, ex aliis confectum granis denegantes. Ex triticeis namque panibus puellæ tuæ peridoneus est ille, qui ex tritici simila cōditus est, sincerissimus enim panis est, naturalia non grauitans: non flatuosus, neque deorsum aluum implens, & peroptime nutriens, auctore Galeno ut supra. Et Auicenna, ubi his uerbis ait secundo canone. capite. DLXXIII. Et panis de simila est melior eo, qui est de farina, atque paululum post ait. Panis de simila magis nutrit, quā alius & eius nutrimentum est melius.

Sitque panis non admodum fermentatus, sui enim superfluente aciditate membrīs spirandi noxius est, Quippe  
 neque



neque omnino fermento careat ob id Galeni uerbum primo, de potentiis alimentorum capite secundo. At qui omnino fermento caret, nemini prorsus erit accommodus. Quòd si à medio fermētationis exierit, minus sanè nocuus asthmaticis erit, si plus fermenti illius confectio obtinuerit, auctore Auicenna secundo canone, capite. CCLXXXV. ubi ait. Et in eo est uirtus refrigerans propter suum acorē attrahentem materias profundas ad exteriora corporis, & resoluit, hoc inquam asthmatico peridoneum est.

Panis namque quo comuni utitur esu non plurimum salitus sit, sanè quidem salitus sit, ob id Auicennæ dictum secundo canone, capite. CCCCCXXIII. & reliquæ species salis incidunt phlegma uiscosum in pectore, non admodum saliat. Porro cum id de humido, quod exsiccatione meretur, exsiccatum fuerit, quod demum remanet confestim unit, atque fortius comprimit, auctore Auicenna eodem in loco.

Sitque eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaque interiora habeat, ambusta uero, obarida, & crustacea exteriora. Ignis enim uis in totum panem nequit penetrare, ideoque illum non percoquit sed crudiorē relinquit, maximèque intimas partes. Is enim deterrimus panis censendus est, & uentriculo inimicus, qui in crustaceis admodum aduritur, in intimis uero incoctus relinquitur, auctore Galeno primo alimentorum secundo.

Sit panis recens trium dierum. Sanè quidem calidus nō edatur, propter illud Auicennæ. ii. canone, cap. DLXXIII. Panis enim calidus non est apud naturam receptibilis, sitim facit & natat propter suam uaporosam humiditatem. Nocuus igitur asthmaticis est.

#### DE VINO.

**C**um autē sit omnis excessus fugiendus, maxime hunc fugere expedit, ex quo nō corpori modo, uerum etiā



animo damnum accedit. Quippe cum filiolarum tuarum corpori,  
 & animo uini potus damnum ingerat, nedum haustum  
 gustare suaferim, uerum & omnem uini potionem dene-  
 gare, eius namque corpori noxium est uinum, cum ipsa  
 calida, & humida sit temperatura. Vino quidem ab ea po-  
 tato humectante atque calefaciente, excessus corpori no-  
 xius conducetur. Is autem fugiendus est, auctore Galeno,  
 primo de tuenda sanitate, & in libro exhortatio ad bonas  
 artes. Quippe cum repleti eius caput sit inutile. Vinum au-  
 tem halitu caput replet, idcirco uinum illi nocuum erit.  
 Porro cum capitis consensu asthmate puella haec afficia-  
 tur, Quippe cum uirtus nostrum corpus gubernans, asth-  
 ma siccando ipsum regat, Vinum autem humectatiuum  
 admodum sit, ut Galenus primo, de tuenda sanitate dixit.  
 Igitur illi uinum denegandum suadeo. Propterea, Doctor  
 Excellens, non ab re mihi persuadeo filiarum tuarum potum per-  
 idoneum esse debere, ex hydromelite potum coctionis hyf-  
 sopi calefacientis, & exsiccantis, auctore Galeno, octauo  
 simplicium pharmacorum, capite. CLII. haec inquam forma  
 curationis est asthmatis, ut dixit Galenus septimo, de com-  
 po. med. s. l. capite tertio. Quod si puellarum consuetudine, uel  
 inordinata illius appetentia, uel uiolento medicorum irri-  
 tatu ad uini cogaris potum tribuendum, uina nigra illi mi-  
 nime dato. Sane asthmatis correctio, tum sreatum facile  
 ducentibus, tum pulmonis uias eget dilatantibus, hoc au-  
 tem a uino nigro amouens Galenus, de albo aperte sensit,  
 quinto de locis affectis, capite quinto, ubi ait, si uero siti  
 cruciaretur ex uino madido, & quidem albo, atque modi-  
 ce astringente. Porro igitur eius uinum album sit, imbecil-  
 lium uirium, ut caput minime percutere ualeat, ait enim  
 Galenus eodem in loco. Nam huiusmodi uinum ut uentri-  
 culum robustum efficit, ita haudquaquam tentat caput,  
 id quod facere solent ea, quae uehementes uires obti-  
 nent. &c.



Neque eidem uinum crassum, atque ponticum, & acetosum exhibeto, iuxta illud Galeni, in libro de subtiliante diæta, ubi ait. Et his id est cæteris uinis magis euidenter inutilia sunt in thoracis, & pulmonis affectionibus, Quæcunque uina pontica sunt.

Nequaquam porro ei uinum nigrum, dulce, & austerum, at minus turbidum uinum, & nouum dato. Hæc namque crassitie sua pulmonis uias obferantia libere anhelandi facultati noxia sunt, dicente Galeno in libro de ratione uictus attenuante. Nigrum uinum, simul dulce, & austerum inutile est eis, quæ secundum thoracem, & pulmonem affectionibus chronicis.

Cæterum si potionis dandæ indicium, ab eo quod de pituita, crassum, & hærens pulmonis bronchios obferans accipitur, non ab re suaderem ei potandum dari, uinum tenue album mediocriter dulce, atq; odoriferum, eius enim est uis concoctrix crudi, & glutinosi in corpore consistentis humoris, auctore Galen. quarto, de tuenda sanitate, ubi ait. Nec tamen à uino eum abstinemus, concoquit enim & id semicrudos humores, quantum aliud quid uis. Et idem in de tuenda sanitate quarto, dixit, Quod si crudos iam succos satis attenuatos speras, uinum dabis, quod & substantia sit tenue, & colore fuluum, album uel, hoc & ad succi bonitatem, & concoctionem facit. Quippe dixit Galenus, in libro de cibis boni, & mali succi uerbum hoc. Eamque ob causam, qui indigent refectione, ut dulce uinum potet, suadendi sunt: ac tum præcipue, cum horum iecur, lienq; & renes uitio carent, ut indubie Galenus, uinum dulce innoxium thoraci, & pulmonem asseueret. Et hoc sanè in libro de ratione uictus attenuante, Galenus his assequitur uerbis. Quæcunque secundum thoracem, & pulmonem sine febre affectiones sunt chronicæ, iuuantur à uinis mediæ consistentiæ dulcibus, & lucidis, Apertius autem Galenus in asthmate, & orthopnæa iussit uinum non modo dandum



uerum & multa potatum quantitate, ait septimo, de compo. med. s. l. capite tertio, uini subtilis potatio multa esse debet his, quibus pulmonis bronchia uiscosis, atque crassis obferata sunt humoribus.

Verum si uini potionis indicia in asthma, uel orthopnæa ortum trahant, ab eo, qui sui fluxione catarrho ad thoracem, & pulmonem præcipitanter ruat, dubio procul huiuscemodi uini, & cuiusuis alterius potum, a Galeno negatum fore. Compertum est in libro de cibis boni, & mali fucci. Quippe dixit Galenus eodem in loco, quod de puella tua dicendum censeo. His ergo, qui natura, aut ætate calido admodum sunt temperamento, aquæ potus longè accommodatior uino. Hanc ob rem filiam tuam admoneo, ut uini potum è comuni usu a se elonget. Mulsam autem coctam ei dato, plerumque his ei iunctis, quæ in bronchiis pulmonis humores crudos, ac tenaces incidunt, attenuant, concoquuntque. Quippe & eadem capiti innoxia erunt. Qualia sunt cinnamomum, semen fœniculi, sisimbrium, calamamentum, hyssopus, saluia, & similia.

Potum igitur talem facito. Aquam lucidam non stantè ponderis sex, lib. accipito, cui mellis albi uncias quattuor, & cinnamomi electi, drachmas duas, & hyssopi, drachmas tres aponito, ebullitionem illius exprimito quo ad totius commixti quartum solutum sit, reliquumque potui seruato. Peridoneus enim hic potus est, sanè innoxius capiti coctionem celerem eorum facit, quæ in thorace, & pulmone crudorum humorum adsunt, facilem reddit sreatum. Quippe abstergendo pulmonis uias, ab his mundat, quæ crassitudine ipsius uasa obstruebant. &c.

DE CARNIBVS.

**Q**Uod peridonee pensitatum est Doctor Excellens a magistris nostris antiquioribus, sæpius ad tui memoriam reuocari uelim. Puellam tuam asthmatica dispositione affectam, in consueta eduliorum assumptione

eorum



eorū parsimonia attendere, ut circa carnis, adipisq̄ cremētum sollicita minime sit. Hoc sanè spirandi facultatem lacerat, ob multum enim alimentum uentriculo cōcessum, superius pulso ad spirationis instrumenta compressa, difficilem reddit anhelitū, Porro hanc ob causam flatuosa quæcunq̄ edulia ei noxia sunt, ut post dicemus. &c.

Vetustorum itaque pedestrium animantium carnes debet cauere, ut bubula caro, auctore Gale. iii. de facultatibus alimentorum, capi. i. ubi ait, Bubula uerò alimentum ipsa quoq̄ non exiguum, nec discussu leue præstat. Sed sanguinem crassiozem, quā par est progignit. Quæcunque igitur peditantia animalia temporis uetustate terrei alimenti naturam sibi concesserint, non optimi sanguinis, sed fœculenti, facultatique spirandi noxii facile procreantia sunt, quales etiam sunt ceruorum carnes, & capreolorum, caprarū, arietumque, & uetustorum castratorum, auctore Galeno tertio de potentiis alimentorum, asseueret autem quod sibi libuerit Auicenna de cerui, atque capreoli carne.

Nempe quod experientia nos edocet, id admodum sequi oportere opinor. Dixit enim Galenus decimo simplicium medicamentorum, capite secundo, solam experientiam fidem facere, compertum autem experimento iam est, suillam carnem uentriculum grauando, crassum progignere alimentum, & sui natura non facile concoqui, auctore Galeno septimo, methodi curatiuæ, capite sexto. Quam ob rem suillæ carnis quamlibet administrationem filiam tuam ut aufugiat sanè laudo, cum humoris geniti crassitie, atque adhærente uiscositate crebrum, & difficilem efficiat anhelitum. Quidquid de suilla carne decantauerit Galenus libro tertio, de facultatibus alimentorum, capite primo, & in libro de cibis boni, & mali succi, & decimo simplicium medicamentorum, capite secundo.

Tibi ex his suadeo ex communi usu carnes filiaæ tuæ, quantitate minutas, ne earum adaucta quantitate uentriculum



triculum extendente pulso septo transuerso spirationis facultas grauetur. Sintque facilis concoctionis carnes, & peroptimi alimenti, non admodum humido affecti, Sane quæ non facilem concoctionem apud uentriculum tenent, naturali facultate imbecilli facta, flatuosam humiditatem gignente, septum transuersum pellentem, difficiliorem reddunt anhelitum, auctore Galeno secundo, facultatum naturalium. Quippe si abundantis humiditatis carnes alimentum procrearent, sane pulmonis uasa ab ea magis obferata asthmatis cumentum propinarent. Sint itaque carnes, ut pulli gallinarum, fasianorum, perdicum, turturum, atque columborum, iuuenum cuniculorum, leporum, & caro hædina, parumque uitulina ei non denegabitur. Quippe agnam carnem non sequetur, noxia sane est ei, ob id quod humidiores alimoniam quam par est progignit. Quò fit, ut pulmonis humidum obferans foueatur, & spirandi difficultas augeatur. Horum omnium, auctor est Galenus tertio alimentorum primo, & libro de cibis boni, & mali succi. Porro ex condimento huiusmodi carnes elixas, sanis usque costas comuni esu sequatur. Tosta enim, atque frixa admodum adstringentia sunt noxia facili anhelitui. Porro si huiusmodi carnes iunctis his, quæ crudos, & tenaces humores attenuant, incidunt, & concoquunt elixatione conducantur. Qualia sunt, cinnamomum, gariophyllum, hyssopus, calamentum, helenium, & similia, præstantius, & celerius in ratione uictus illius iuumentum apparebit. Quippe non te lateat edulia quæcunque cuiusuis generis sint prædictis aromatum uiribus parare, si ex ratione uictus filia tuæ sanitatem propinare autumabis. Nempe te certiore reddo, si crebra assuetudine filia tua, edulium mox dicendum paret, edatque admodum sanitati suæ commodum præstabit.

Pulmonem uulpis recenter euiscerata accipito, ipsumque uino albo aromatico ter abluito, & in aqua lucida peridoneæ



nea quantitatis in uase ponito, cui hyssopi drachmas duas calamenti drachmam unam, fustorum cinnamomi drachmam unam apponito, & usque ad completam coctionem ebullire finito. Demum uero iusculum colato, & uitellum oui recentis solutum adhibeto, incisoque per frustra uulpis pulmone eidem iusculo immittito, ipsumque una ebullitione ebullire finito. Postremo uero ipsum cum zuccharo esui commendato.

Non ab re tibi suadere uelim carnes cuiusuis generis, quas usitato esu filia tua deuorat extenuatas esse debere, atque pinguedine nudas, pinguedo namque humida quæpiam res est, admodum similis oleo, uetustate increffato, auctore Galeno tertio libro, de facultatibus alimentorum capite decimo. Hoc sane noxium thoraci, atque uentriculi osculo, & halitu malo caput tentat.

Verum uir docte, eorum animantium, quæ uolatu fiunt, carnes ob facilem concoctionem, atque leuissimi alimenti, & peroptimi præstantiam, præcipuam laudem in hac affectione merentur, auctore Galeno tertio, de potentiis alimentorum, capite decimo octauo. Qualia utique sunt, perdices, columbæ permagis syluestres, sane natura sicciores sunt, atque asthmatis utiliores, gallorum gallinaceorum, atque gallinarum carnes, Turdorum, turturis, fassiani, Quippe, ut plura uno pronuntiem uerbo, & quorum omnium uictus, atque habitatio in pratis, agris & nemoribus reperitur, admodum iuuantes sunt.

Nolo tamen te latere huiuscemodi animantia condimento assa, posse asthmatis conuenire, quippe capto indicio a morbi causa, sicciora enim sunt assa, quàm in aqua dulci elixa, auctore Aristotile quarto, metheororum. Et Galeno tertio, facultatum alimentorum, capite decimo octauo. Asthmatis autem correctio ex natura siccis perfectionem capit, ut dixit Galenus septimo, de compo. med. s. l. capite tertio. Verum cum adstringentia sint sicca admodum, facultati



facultati spirationis noxia, ut Galenus eodem in loco. So-  
leo in huiusmodi affectionis methodo curatiuæ, in aqua  
dulci elixis per magis, atque fidentius uti. Præcipue si aro-  
matum uirtus condimento elixa gubernet, ut iam dictum  
est, Nempe elixationis humidum facilem reddit sreatum.  
Aromatū uero uiribus, affectionis causam tollimus. Quip-  
pe asthmatis curatio nullum horum spernit, auctore Gale-  
no eodem in loco.

Porro si animantium, quæ uolatu magis nituntur ab  
ætate rationem uictus affectionis asthmaticæ conspicaberis,  
nuperrimè nata ei noxia comperies ob id Galeni uer-  
bum tertio alimentorum, decimo octauo, & in libro de ci-  
bis boni, & mali succi. Noxia uerò est admodum nouello-  
rum caro, mucosa enim, & excrementis plena, at leuius per  
aluam ducens, igitur excrementorum plenitate humidita-  
tum copiam ad spiritalia conducit. Hoc sane noxium spi-  
randi facultati, ob id uerò, quod facilem aluam reddit, asth-  
maticis non innocua est, quibus ad superiora deiectio ex-  
screatu congruit ob id Hippocratis, & galeni quarto apho-  
rismorum, commento decimo octauo, supra præcordia,  
dolores purgatione indigere per superiora significant.

Quæ uerò iam ætate declinant uolatilia, si eam, quam  
petit concoctionem asthmatica hæc affectio speculaberis,  
ea sanè non conuenire autumabis. Etenim horum dura  
sicca, atq; mucosa est caro, ideoque & concoqui contuma-  
cior, auctore Galeno libro tertio, de potentiis alimentorū  
capite decimo octauo, at quoniam coniectari oportet affe-  
ctionis illius causam, calfaciētibus, & exsiccantibus egere,  
quorum natura sunt, quæ nitro participant, ut sensit Gale-  
nus septimo, de compo. med. s. l. tertio non ab re suadeo a-  
nimantium uolitantium quorundam carnem peridoneā  
esse, Qualia sunt galli, capones, fastiani, & similia ad magis  
ueterem ætatem conducta.

Parare igitur caponem ætate declinantem iunctis his,  
quæ



quæ asthma peridonea sunt, præstantius concipies iuua-  
mentum. Euisceratum igitur uetustum accipito caponem  
atque uino albo odore redolente lauato, salitoque, ipsius  
uentri, hyssopum, saluiam, cinnamomum, & crocum, appo-  
nito, & in dulci, atque perlucida aqua decoquito, & cum  
esu carniū iusculum bibito.

Propterea cum animalium carnes asthma idoneæ, &  
sicca, & excrementis uacuae sunt, tibi suadeo cauere, quæ in  
stagnis animalia, aut palustribus, atque lacustribus degunt  
qualia anseres, anates & similia, dicente Galeno, in libro de  
cibis boni & mali succi, præterea aues ut ita dicam, omnes  
boni succi censentur, exceptis lacustribus, palustribus, &  
quæ in immundis fluminibus, ac turbidis degunt. Caro  
enim animantium, quæ uiuunt in aquis eiusmodi deterri-  
ma est. Postremo igitur te ad memoriam reuocare uelim,  
ea quæ in montibus animantia, aut siccis locis degunt, quo-  
rum carnes sicca & excrementis uacuae, ac concoctu faci-  
les filia tuae asthmaticæ, peridoneæ sunt. Quæ uero eorum  
humida, & excrementitia carnes concoctuque difficiles,  
nocua, auctore Galeno tertio, de facultatibus alimentorū,  
capite decimo octauo.

## DE PISCIBVS.

Cum apud Galenum sexto, de usu partiū capite nono,  
compertum sit, omnibus animantibus pisces frigidio-  
res esse, naturaque humido abundantes. Quippe uictus ra-  
tio hoc in asthmaticis non admittit, ut & idem sensit Gale-  
nus septimo, de compo. med. s. l. cap. iii. non ab re à tota rei  
natura filia tuae pisces non cōcedimus, illos sanè maximè,  
qui in cænosis, & sordidis aquis uescuntur.

Porro & qui in paludibus, & lacubus capiuntur, excre-  
mentitia namque & mucosa est admodum eorū omnium  
caro, auctore Gale. iii. de potentiis alimētorum. cap. XXIII.  
Excrementitiam autem carnem dixit Galenus. iii. faculta-  
tum alimentorum, capite. XXXX. Quæ pituitosam humi-



ditatem in se resperfam continet, admodum sane asthmaticis nocuam, fluuialium namque piscium caro, non adeo ei noxia est, & tanto minus, quanto fluminis aqua rapida, & multiflua est, ut ipsius torrentis fluxu pisces admodum fatigentur, quo fit, ut eorum caro minus excrementitia, atque mucosa reddatur, asthmatis minus nocua. Omnium uero piscium caro optima est, qui in puro natant mari, maxime cum uentorum difflatu agitatum attollitur, auctore Galeno tertio, facultatis alimētorum, uigesimo quarto, ubi sermonem suum sequens ait. In silente namque mari, nullisque agitato fluctibus, tanto piscium caro uilior est quanto minus exercitata. Quam ob rem quanto piscium carnes exercitio minus mucosæ, & excrementitiæ redduntur, tanto plus asthmaticis peridoneæ sunt, qui igitur in stagnis uescuntur pisces mali sunt, & insalubres, magisque asthmaticum lædunt. Qui uero saxatiles appellantur pisces non admodum asthmaticis noxii sunt, ob id quod minus excrementitiæ, atque mucosæ sunt eorum carnes. Quippe de his, qui in saxosis aquis piscibus uescuntur loquens Galenus tertio facultatis alimentorum, capite uigesimo septimo, ait. Eorum porro alimonia non modo concoctu facilis est, uerum etiam hominum corporibus saluberrima, ut quæ mediæ constitutionis sanguinem procreet. Medium autem uoco sanguinem, qui neque tenuis est, neque aquosus, neque impendio crassus & ideo asthmaticis peridoneus.

Nempe uir docte, si puellæ tuæ adstrictus, cogaris pisces minus nocuos cōcedere, te ad memoriam reuocare uelim ut eos pares his, quæ permaxime asthmaticis opitulantur, saluia, hyssopo, menta, croco, cinnamomo, gariophyllis, & similibus, eosque elixos, aut craticula decoctos, aut tostos, nulla namque administratione in patellis frixos, concedere audeto.

Porro non te latere uelim salitos ei non admittere pisces.



sces. Si dicto Galeni secundo, de compo. med. s. l. capite decimo octavo, fidem adhibebis, ubi ait sal molestum est, propter grauedinem, & maxime in capite, at si uerbum Galeni seruabis tertio, de potentiis alimentorum capite quadagesimo, non admodum errore culpaberis, si eidem salitos pisces, esu moderato consenties, ubi ait. Salis namque facultas, uti in opere de simplicibus medicamentis demonstrauimus, composita est nimirum simul discutiens, incidensque corporis, cui applicatur, superfluas humiditates, & corpus ipsum in se colligens, ac cogens. Quod si non admodum duræ carnis pisces, & neruosa, & membranosa, corioque similis, esu dabis. Crassos, ac glutinosos succos attenuabis, auctore Galeno eodem in loco. Hoc autem asthmaticis idoneum est, ut Galenus sensit septimo, de compo. med. s. l. capite tertio, quales sunt sarda salita, ut Galenus dixit tertio alimentorum, capite quadagesimo, ob hanc rem forte non admiratur mesue asthmaticis oua Tarachi, quas populari uocabulo Botargas appellitant, audacter tribuere. & cet.

## DE OVIS.

**Q**Uæ ab animantibus oua nascuntur, à Galeno tertio facultatis alimentorum, capite uigesimo primo, inter hominum numerantur alimenta, quorum summam, alitionis laudem gallinarum oua, demum fasianorum obtinere. Porro cum albuminis uis adstringens sit, quod admodum asthmaticum incommodat, puellam tuam solo oui uitello accommodatam fore non ambigam, Nam spirandi facultati peridoneus est oui uitellus, auctore Auicenna secundo canone, capite. DXXVIII. ubi ait & stricture anhelitus confert ouum, proprie, cum sorbetur eius uitellus tepidus.

Sint quidem oua recentia, & non diu asseruata, hæc sanè recentia facili obediunt concoctioni. Diu uerò asseruata, nedum concoctioni pertinacia sunt, sed prauorum prog-



gignencia succorum, ob quam rem dixit Galenus tertio, potentia alimentorum libro, capite uigesimo primo, uerbum hoc. Recentium porro ouorum ad uetera non mediocris est differentia, quippe optima sunt recentissima, pessima perquandiu asseruata.

Non sint oua, quæ ei ad edendum largimur, cocta, seu dura, ob id Galeni uerbum eodem in loco, cum ait, cocta, seu dura difficilis sunt coctionis, & tardi transitus crassamque alimoniam corpori exhibent. Quæ sanè spirationis difficilis causam, ad ccrementum ducunt. Porro sint tremula, atque forbilia quæ ei concedimus oua, auctore Galeno tertio alimentorum, capite uigesimo primo, ubi ait, tremula, mollia uel omnium bellissime nutriunt, forbilia minus id præstant, sed expeditius descendunt, ac gutturis scabritiem leuigant.

Nempe in aqua decocta sint, quæ acceperit oua, ob id quod in feruentibus cineribus assata longe tardioris sunt transitus, & crassioris succi. Quippe quæ in sartagine oua condimento parantur, longius distent à comuni usu filiarum tuarum, ob id uerbum Galeni eodem in loco. Quæ uero in sartagine ad crassitiem, usque friguntur, deterrimi omnino sunt alimenti, dum namque concoquuntur nidorem ac fumum edunt, succusque ex his prognatus, non solum crassus, uerum etiam, prauus, & excrementitius est, Qui quantum asthmata noxius sit, non te latere debet. Porro cum aliis coagulatis eduliis uti ouis nequaquam iubeo. Nempe cum his cocta, seu dura ducuntur prauorum gignencia succorum, & facultati spirandi noxia, auctore Auicenna secundo canone, capite. DXXVIII. ubi ait, & melius eorum artificium est ut non cum alio coagulentur. &c.

## DE LACTE, CASEO,

## ET BUTYRO.

**L**Ac numerandum esse inter cibos, qui ab animalibus proficiscuntur, compertum est à Galeno libro tertio, de



de facultatibus alimentorum, capite decimo quarto, & in libro de cibis boni & mali succi. Quippe lac optimum omnium rerum, quas cibi causa capimus optimi est succi, optimum namque dixit Galenus ob id, ut uitiosum lac, necdum tantum abest, ut ad succi probitatem conducat, sed ut malo etiam succo utentium corpora impleat, ob quam rem uictus, ratione ducti, optimum lac filiae tuae admittimus, porro recentem emulsum. Cum enim simul emulsum est, naturae bonitatis nihil amittit, ut dixit Galenus in libro de cibis boni uel mali succi, Quo fit, ut diutino tempore emulsum, naturae bonitatis plurimum perdat, non omnino innocuum thoracis, atque pulmonis affectibus. Quippe tibi suadeo, ut id quod ei admittimus lac, infantium more, priscorum iudicio ab uberibus sugendum sit, uel confestim emulsum, nativo calore affectum potet. Quippe priusquam ab ambiente refrigeretur, id sumi uoluerunt ueteres. Quippe ut ii, quibus eo est opus, omnino id adstante animali statim mulsum bibant, auctore Galeno quinto methodi curatiuae, capite decimo secundo, nempe igitur lactis potionem in hunc modum filiae tuae largiendum censeo, atque uacuo existente uentriculo, quoniam his, qui thoracis, & pulmonis affectibus laborant, peridoneum est, dicente Galeno tertio, facultatis alimentorum, capite decimo quarto, thoracis, pulmonisque partibus omne lac utile est, capiti minime, nisi admodum ualenti. & cet.

Nempe nisi cordis tremore filia tua affecta fuerit idonei illius lactis potum concedam quod minori pinguedine, maiori que nitri natura participat, quale camelarum lac celebratur, demum asininum, postremo caprillum, atque ouillum sequens, ob quam rem dixit Auicenna ii. canone cap. ccccxlvi. uerbum hoc. Et lac quidem camelorum nouiter foetarum confert asthmata, & stomacho. Quippe cum nullius animantis natura similis magis sit camello, quam recentem



ter foetae asinae, non ab re filiae tuae asinarum lac peridoneum  
puto. Porro si id autumnus, atque ueris initio ei diebus  
quindecim continuate propinabis. Quippe cibus uen-  
triculo non grauato praestantissimum iuuamentum repe-  
ries. & cet.

DE CASEO.

Sermo est Galeni tertio, de potentiis alimentorum ca-  
pite decimo sexto. Caseum ex iniecto lacti coagulo for-  
mari. Quippe dum formatur acrimoniam capit, totamque  
humiditatem relinquit, quippe magis eo inueterato cre-  
scit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, con-  
coctionique contumacior, & deterrimi alimenti procrea-  
tor, quam ob rem a tota rei natura filiae tuae caseum mini-  
me dandum putamus. Quippe & si facultatis attenuato-  
riae, crassorum corporis humorum caseus sit, quo fit, ut  
asthmatis causae non noxius sit. Plus porro damni ex succi  
prauitate, & aestuanti feruore infert, quam crassorum atte-  
nuatio possit prodesse, auctore Galeno eodem in loco. Sa-  
ne cum omnium caseorum hoc commune uitium esse so-  
leat, igitur & omnibus qui thoracis, & pulmonis uitio la-  
borant omnem pernegabimus caseum. Sanè forsitan non  
admodum errore ducta, si recentis casei nonnumquam mo-  
desto utatur esu, ob id Galeni uerbum tertio, facultatis ali-  
mentorum, capite decimo sexto, ubi ait laudatissimus in-  
ter omnes caseos, recens habetur: gratissimus ori, & sto-  
macho minime noxius, aliisque omnibus caseis, concoctu  
facilior, & commeabilior, succo constans non uitioso, ne-  
que usque adeo crasso, quod omnium tamen caseorum co-  
mune uitium esse solet.

BUTYRVM.

Postremo te scire uellem doctor Excellens, cum ex eo  
quod in lacte pinguisimum est, butyrum progigna-  
tur, quo fit, ut leniendi facultatem sibi conducat, atque  
molliendi, & concoquendi, resoluendique uim habeat, au-

ctore



Etore Galeno decimo, simplicium medicamentorum facultatis, capite undecimo, & Auicenna secundo canone, capite. CXIII. indubitato filiam tuam a butyri esu moderato non absoluiam. Cum me ad hoc adstringat Galenus eodem in loco, ubi ait. Sed & in uentrem deuoratum butyrum, & ex eo distributum magnificè confert expuitionibus ex pulmone, idque in pleuriticis, & peripneumoniacis affectibus, cum hoc quod eos etiam concoquat, & Auicenna inquit, & sputum facit facile, & maturat. Quippe si edulium condimento isto propinetur apertum sibi conducit iuuamentum.

Butyri recenter confecti lib. unam, amigdalarum dulcium lactis emulsi libr. mediam accipito, his autem quod expedit de zuccharo adhibeto, & ad ignem completa coctione conducito, ipsumque esui seruato.

## DE OLERIBVS.

**Q**uæ ex oleribus esitare debet, porro excafacientia atque exsiccantia sint, Qualia sunt hyssopus, menta, calamentum fœniculus, sisimbrium, saluia, betonica, & similia, quippe si his iuncta sint, quæ emolliendi uim quandam habeant, asthmatis peridonea sunt, hæc faciles quidam screatus reddendo. Illa uerò crassos, & hærentes succos attenuando, atque abstergendo. Quippe si edulio isto plerumque uescatur, confestim ei iuuamentum apparebit hyssopum, saluiam, fœniculum, sisimbrium, quantum manus amplecti possit, boraginis, buglossi, tantundem accipito, illa sicca, hæc uerò modesta humiditate affecta sunt, auctore Galeno libro sexto, simplicium medicamentorum, emulsi lactis amigdalarum, & butyri recenter facti lib. mediam assumito. In primis olera, ebulito quo ad concocta fuerint.

Postremo & zuccharum, & crocum addito, & esui dato. Nempe te certum facio si sequens edulium puellæ amicabile, atque delectabile effici poterit, nedum innocuum, at  
& prestan



& præstantissimum largietur iuuamentum, succi linguæ bouis, lib. mediam, atque amaræ amigdalæ, lactis emulsi uncias duas, & butyri recēter facti uncias quattuor, & dulcis amigdalæ succi uncias tres accipito, coquitoque, postremo uero & zuccharum & penidium, & crocum addito, & esui seruato. &c.

Sint porro procul ab ea, quæ sunt frigida, & humida temperaturæ olera, qualia sunt lactuca, endiuia, beta, spinachia, & huiuscemodi, nedum enim frigido, asthmatis causam compingunt, & spirandi facultatem hebetant, sed & crassos, crudosque succos progignentia. Nempe quæ natura frigida, & sicca sunt olera, longe fugiat. Quippe cum adstringentia sint spirationis facultati admodum noxia sunt qualia plantago, acetosa, solatrum, & similia.

Terræ uero bulbos cauere debet, qui mordaci acrimonia præditi sunt. Qualia cæpæ, allia, ascaloniæ, & huiuscemodi, acrium porro omnium assiduus usus ab ea est euitandus, cum facultatem quandam alendi corporis obscurissimam habeant, auctore Galeno secundo, simplicium pharmacorum capite ultimo, & in libro, de cibis boni, & mali succi, sed sanè uenirem interrogandus. Quippe cum acria omnia admodum facultate prædita sint, ut corpus excalfaciant, & crassos in eo humores extenuent, glutinososque incidant, ut est Galeni sermo eodem in loco iudubitato ea innocua asthmatis censendum uidetur. Nisi esset ea sui mordaci acrimonia, & alimonie obscuritate plus corpori noxia esse, quam eidem imperio facultatis attenuandi, atque incidendi, excalfaciendique posse prodesse.

Verum te non latere uelim huiuscemodi acria sui ipsius condimento, aliquantisper elixata, facultati spirandi innocua esse, cum sui elixatione sanitati accommoda fiunt, quod obstructa soluere, & discutere possint, tum quod eadem elixata acritudinem abiiciant ut uiribus suis imbecilliora fiant. Quippe prauis succi notam deserunt, auctore ga-



Ieno libro secundo, simplicium medicamentorum, capite ultimo.

Nempe igitur si elixatum porrum cum melle esitet, uel sub feruescentibus cineribus assatum, proculdubio ei innocuum erit, quippe, & eiusdem sententiæ fuimus, si de aliis, & capis, eadem efficiantur condimenta.

Verum si sequenti edulio comuni esu utatur, admodum ei utilitatem præstare adinueniet, porrum minutatim sectum, & hyssopum, & boraginem accipito, eaque in perlucida aqua coquito. Demum butyrum recenter factum, uitellum oui nouiter nati, emulsi lactis amigdalorum dulcium, & zuccharum, & quantum salis expedit apponito, unicaque id ebullitione conducito, & esui dato, iunctoque croci paululo, &c.

Porro domesticum, atque familiare ei edulium sit helenium, quippe & in solo illius esu, & omne, quo utitur condimentum uiribus helenii præditum esse, admodum gaudere debet, eam certe adstringens, Galenus sexto simplicium medicamentorum ubi ait. Quapropter eligmatis, quæ faciunt ad educendos ex pectore, pulmoneque crassos, lentosque humores, idonee commiscetur. Et Auicenna. ii. canone, capite. CCXL. ubi ait, & est bonæ operationis quando admiscetur cum ellectuariis mundificantibus pectus. &c.

DE FUNGIS.

Fungos quouis modo condiendi paratos sanè cauere debet, porro nedum mali succi sunt, atque alimonia ex iis procedens, pituitosa, gelidaque est, os uentriculi angustiās. Quippe & id pondere afflictum, constrictumque spirandi facultatem corripit, auctore Galeno libro secundo, facultatis alimentorum, cap. LXIX. atque dixit Galenus in libro, de cibis boni & mali succi. Fungi etiam cum sicari nequeant, uitium in se habere maxime indicant. Et Auicenna. ii. canone, capit. CCLXXIII. ubi ait, accidit ex fungis, qui non interficiunt, præfocatio. &c.



DE fructibus, quibus homines uescuntur, te non latere debet. Hos quidem horarios præsci appellant, qui in anni hora nascuntur, Quippe anni horam uocantes id tempus, in cuius medio canicula exoritur, auctore Galeno secundo facultatis alimentorum, capite secundo. Porro hos quidam terræ fructus nuncuparunt. Quales sunt cucurbitæ, mellopepones, anguriæ, cucumeres, & huiuscemodi, qui cum humidæ sint consistentiæ, atque larga humiditate affecti, nedum humidam progignunt alimoniam, at exiguam facileque e corpore excernibilem, ut Galenus dicere audeat, id genus omnia uitioso succo notata. Quam ob rem cum asthmatis causa ab humido incrementum suscipiat, non ab re fructus huiuscemodi a filia tua longe distare putarem. Quippe & ii, qui eo succedunt cursu, quales sunt persica, & mora matura, eam eodem afficiunt uitio, sua sane frigida temperatura membris spirationis obsunt, humido uero incrementum causæ difficilis spirationis adsunt.

Eos uero, quos arbores fructus appellant, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno secundo alimentorum, capite septimo, a tota rei ipsius natura esui non dabitur. Hi enim, quorum mollis, atque humida est consistentia, nedum tenuem, humidamque ex se alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuosam facultati spirandi nocuam procreant, quales sunt, ficus, pira, mala, persica, armeniaca, cerasa, pruna, & huiuscemodi. Nempe si, ut pueri, uoraci appetentia pulsus, ea quempiam horum cuperet, maturas ficus, ueluti minus nocuas, ei tradere iuberem, minus namque prauis succi adgenerant, omnibus his, qui fugaces, & autumnales uocantur fructus, & si penitus huius uitii non immunes reddantur ficus, auctore Galeno secundo alimentorum, capite octauo. Quippe & ipsæ uentrem flatibus implent, quod fit, ut asthmatis noxiæ sint, hinc sane non mediocrem ingerendo molestiam instrumentis spirationis, uentriculi pulsu



pulsu in ea propugnante, at quoniam his e' uentriculo celer descensus occurrit, quippe neque in uentribus multi temporis interuallum trahunt, ut in his inflare sinantur. Quo fit, ut ait Galenus eodem in loco, ceteris autumnii fructibus innocenciores esse consueuere.

Te tamen scire uelim, si ficus permaturæ siccitate parentur, atque hyssopo recente in iusculo ad hybernium tempus condiantur, recondianturque, idoneum sanè eduliũ asthmaticis erit, Nam leniendi, abstergendique, & attenuandi ui pollent, spirandi porro facultati peridoneæ, ut ait Galenus septimo, de compo. med. s. l. capi. iiii.

Nempe poma feruentibus cineribus cocta nonnunquã esitare poterit. Excalfaciens certe ignis, nedum humidum nocuum minuit, uerum & flatuosum spiritum sensim excernit, soluitque. Quippe si hyssopi pulueribus superaspersum coctum edatur pomum, escam asthmaticis peridoneam esse, nullus ambigere debet, cū ipsius dulcedine spirandi uias leniat, atque ductu screatus reddat faciles. Tum quoniam hyssopi ui crassos attenuat, dirumpitque thoracis, & pulmonis humores, qui prauo substantiæ eorum uitio, spirandi difficultati obseruiebãt auctore Galeno quarto aphorismorum. xxxiiii.

Verum enimuero, cum solidæ consistentiæ fructus adfuerint, qui adstringente ui admodum pollent, eos certe puellæ tuæ concedere minime auderem. Quales sunt citronia, pira, punica, mespila, sorba, nuces, & huiuscemodi naturæ, ii porro nedum in transeundo celeres sunt, uerum crassum, glutinosumque, & adstringentem succũ progignunt facultati spirandi noxium.

Nempe huius adstrictoriæ facultatis dulces amigdalæ nihil sortitæ sunt. Quippe abstergendique, & extenuandi ui pollent, quo fit, ut idonea esca asthmaticis comprobetur, dicente Galeno secundo facultatis alimentorum, capite uigesimo nono. Amigdalæ uiscera expurgant, humorumq;



è pulmone, ac thorace excreatus moliuntur, ac promo-  
uent. Quippe quasdam compertum est esse amigdalas, ut  
cibo prorsum propter amaritudinem sint ineptæ, quæ  
tam exuperantem crassorum, ac glutinosorum humorum  
incidendi uim habent, ut indubitato si amaritudine quis-  
piam non territus, illis accomodaretur, peridoneum asth-  
maticis efficeretur edulium, auctore Galeno sexto, facul-  
tatis simplicium medicamentorum, & Auicenna secundo  
canone. cap. LVIII.

Nuces auellanae porro adstringentis qualitatis ui pol-  
lent, auctore Galeno secundo alimentorum, capite uigesi-  
mo octauo, quo fit, ut nedum hæ, & iuglandes nuce, ui ad-  
strictoria, ei esca efficiantur nocua difficultati spirandi in-  
crementum apponentes, uerum fluctiones desuper mo-  
uentes potentiam spirationis admodum grauitant. Nisi  
nucis auellanas huiuscemodi condimento paratas ad edē-  
dum concesseris.

Nucis auellanas ab omni cortice mundas, passas uuas,  
atque mel accipito, & in lucida aqua ebullito, & colato, esi-  
tet porro auellanas passis commixtas. Edulium certe asth-  
mati peridoneum inueniet. Quippe si pineæ atq; pistacia  
eodem parentur condimento, idem spirandi difficultati af-  
ferri iuuamentum aperte dignosces.

#### DE LEGVMINIBVS.

**C**Aeterum ob id quod legumina nulla gratia, nullaque  
iucunditate commendantur. Quippe & flatibus uen-  
tres admodum implent, auctore Galeno libro primo, de  
potentiis alimentorum, & hæc porro facultati spirationis  
pernocuum, ea proculdubio filia tua cuiusuis generis pa-  
ratus adfuerint ingratas escas pronuntiabo, ob quam rem  
ut eorum granorum fuga se muniat, aperta fronte iuberē,  
nisi laborantis inordinata appetentia cogeret, plerumque  
cicerum rubeorum iusculū præbere, quod haud putamus  
admodum inutile præcipue, si hyssopi, saluia, atque maio-  
ranæ



ranæ condimento paretur, nempe sic paratum iusculum attenuandi, & abstergendi crassos, ac glutinosos humores, atque eorum uias obstructas aperiendi ui pollet, asthmaticis certe peridonea.

### DE EXERCITIO.

**H**umani corporis excogitata dimotio, non solum ad sanitatis tutelam, uerum & ad bonam corporis habitudinem, necessariam esse prisci omnes prædicarunt, auctore Galeno libro primo, de tuenda sanitate. Porro igitur ut filia tua bonam conducat ualeitudinem præcipere oportet, ut corporis motione, atque exercitatione gubernetur, at quoniam non leue incommodum nonnullis accidit, cū repleti cibo se exercent, ut Galenus sexto, de tuenda sanitate prædixit, non ab re eam impleto uentre exercitari nollem. Ea enim motione, uaporibus plerumque impletur caput, fluxiones desuper cadentes ad spirationis instrumenta progignentibus admodum asthmaticis noxias. Potissimum igitur eius exercitatio sit ante cibum, nihil tamen, quin, & post cibum, quippe ante cibum, quoniam ea uirium corporis robur augere solet, auctore Galeno sexto, de locis affectis, capite sexto. Quippe & ea exiguos meatus expurgat, & excrementa pellit, at ob id dixit Galenus secundo, de sanitatis tutela uerbum hoc, utilius est antequam comedas exercitationem adhiberi. Nempe & post cibum non omni hora exercitationi submittatur, quoniam tempus ad exercitationem commodissimum, dixit Galenus secundo, de tuenda sanitate, est cum externus cibus duplici concoctione iam prorsus sit confectus, & ea, quæ in uentre, & ea, quæ in uasis sanguinis agitur, ac iam denuo cibandi tempus instet. Quod si aut prius, aut posterius exercitatione utere, aut crudis hominem impleueris, aut pallidæ bilis prouentum auxeris.

Nempe



Nempe ut Galenus sexto, de tuenda sanitate ait, exercitationes, quæ post cibum fiunt, quam maximè eas lentas esse expedit, ut haud celerius, quàm oportet, membris cibus rapiatur, illas namq; quæ ante cibum fiunt, magis citas esse oportet, ut quæ cavitates superflua implent natura, exercitatione in uigore consistente ualentius deiiciantur, hoc per maximè asthmatis idoneum. Quippe non has citas esse expedit, quales festinabundi usurpamus, opere aliquo uigente quoniã difficultati spirationis clementum afferunt auctore Galeno septimo, de compo. med. s. l. capite tertio, & cerebro, fluxionique ab eo nocumentum ingerunt.

Cæterum ad has quidem exercitationes corporis frictiones, atque altas uociferationes conducere soleo, ut frictio nibus, quæ extrinsecus sunt, ea rapiant, quæ in intimis spiritalium superfluentia consistunt. Altis uerò uociferationibus, quæ apud pulmonis uias, crassorum, atque glutinosorum humorum cõgesta sunt ad modum pulsacris uolentia, disrumpantur, & uasa mundentur, quod per maximè asthmatis utile censetur. Et hic est Galeni sermo de sanitate tuenda libro secundo. &c.

## D E S O M N O .

**S**I ambo uidelicet somnum, atque uigiliam coniectari uoluerò, hæc sane fieri secundum innati caloris motiones comperiam, auctore Galeno secundo aphorismorum primo, somnum quidem ad intima corporis, uigiliam uero ad exteriora natiuo calore promotò. Quam ob rem cū in somno multo, natiuo calore ad intima uocato, ex halitibus multa quãtitas capiti ingeratur, quibus fluctiones ad cavitates thoracis, & pulmonis conducuntur, ut Galenus eodem in loco sensit. Idcirco puellam tuam nollem multo gaudere somno, quippe cum incremento de superfluctationis ex diurno somno causa difficultatis spirandi concreseat,



creſcat non ab re ipſam diurno ſomno priuandam omnino crediderim. Porro cum in uigilia ſpiritus à corde ad pulmonem diflent, craſſos, ac glutinoſos humores in brōchiis pulmonis ingeſtos, conſocio calore attenuant, atque diſrumpunt, ob id eam maiori temporis interuallo, uigilia lætari uelim, quo fit, ut uetuſtam multi ſomni aſſuetudinem, quam modo poſſidet, ſenſim negligat, & perdat, ſeruato Galeni documento ſecundo aphoriſmorum quinquageſimo.

## DE GAUDIO.

**C**um nimio gaudio animata facultas ad exteriora fertur ſi quid antea ei adfuerit roboris, dum exteriora petit, diſcutitur, atque diſſipatur, ut nonnulli ſupra modum puſillanimes repente ſunt mortui, auctore Galeno ſecundo, de cauſis ſymptomatum libro. Propterea gaudeat filia tua gaudio moderato. Porro eo non ita ualido motu, ac feruore fertur animata facultas ad exteriora ut exoluatur, laxeturque. Quippe ſi quid ei roboris antea fuit, id detinet. porro delegato ſpiritu à corde conſocio calore ad membra facultatis ſpirandi, quo fit, ut pituitofæ humiditates thoracis uias, ac pulmonis obſerātes diſrumpat, atque exoluat, quod & aſthmatis uitium admodum emendat. Quippe, contra, mœſtitiā præcauere debet, nam ea reuocante ſpiritum & calorem ad cor, fit ut exteriora algeſcāt membra, quod ſane aſthmati noxium cenſeri oportet. & cet.

## DE REPLETIONE.

**D**octor Excellens non te admirari uelim, ſi uitioſam ciborum atque potuum ſatietatem, quippe & malorum ſuccorum ſimplici uerbo à me damnari dignoſces. Sane cogor id fateri uerbo Galeni primo aphoriſmorum, commento tertio, ubi ait. Cum enim uafa cibus, ac potibus fuerint ſupra modum repleta, periculum eſt, ne diſrumpantur,



pantur, aut calor natiuus suffocetur, & extingatur. Proinde filia tua uictus ratione seipsam parce gubernet, atque non cibis, potibusque admodum se repleat. Cum enim affectione, qua laborat, a suffocationis periculo nequaquam tuta sit, idcirco parce esitet, sorbeatque, ne eorum praesentia pulsus a uentriculo spiritalibus membris stranguletur, & subitaneo interitu necetur, porro si periculum huiusmodi praeteribit, confestim in malorum succorum plenitudinem uertetur, quo fit, ut ea instrumenta spirationis grauentur, quod pernociuum asthmaticis indubitato iudicatur, igitur eius uentres implere non admodum sollicita sit, magisque moderate eos inanire cogatur, aut cibi & potus parsimonia, aut sensim cum purgatorii medicamenti purgatione, ut postea dicemus, unde fiet, ut spirandi membra humorum abundantia non grauentur, & spirandi facilitas promoueatur, &c.

#### MEDICATIO PER POTIONEM.

**C**um iam a nobis ostensum est, quali uictus ratione nobilis puella asthmate laborans uti debeat, alteram rem aggrediar, quam morbi profligandi facultatem libro primo, de sanitatis tutela Galenus appellitat, uerum de hac procedente sermone accurate dicetur.

Nempe quoniam eius morbus diutinus est, ut & plerique morbi longi, ob crassos, lentos, ac frigidos fiet humores, quo fit, ut non facile concoqui possint, ut Galeni uerbum est, secundo aphorismorum libro, commento decimo nono, quippe, & in patientibus partibus impacti sunt, atque agglutinati, ita quod eorum dispositiones, magis praeduris tumoribus, quam inflammationibus assimilentur, ut Galenus eodem sensu in loco. Idcirco curationis scopus affectionis filiae tuae eadem medicari die ueluti in acutis expedit morbis, nedum irrationalis, uerum & fallax, atque periculosus,



riculosus, auctore Galeno primo aphorismorum, commento uigesimo secundo, quo fit, ut sensim huiuscemodi affectum medicari opere precium sit, ueluti in præduris accidit tumoribus. Tum altero die morbi causam concoquendo, tum concoctum deiciendo, ueluti edocuit nos Galenus primo aphorismorum uigesimo quarto, & secundo, commento nono, & primo, artis curatiuæ ad glauconem.

Sane igitur doctor excellens, mihi nullo porro ductus errore persuadeo filiam tuam binis medicationibus per anni temporis spatium, medicari oportere. una uernali, altera uero autumnali tempore initiandis. Quippe huiuscemodi erunt medicationes præcauentes morbum, qui futurus est, atque curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, ac curandi morbum eodem scopo amplectar.

Venirem sane à te interrogandus. Cum sermo habitus est à Galeno in libro introductio seu medicus, omnem ex plenitudine morbum uel inedia, uel purgatione, uel uenæ sectione curandum esse. Quo horum trium scopo hisce temporibus puella mea initium curationis capere ualeat. Nempe dicerem, cum sæpe fiat, ut affectio, uenæ sectionem desideret, auctore Galeno, in libro de ratione curandi per sanguinis missionem capite primo, & certè puellæ tuæ affectio uenæ sectionem longe pellit, ob id porro, quod affectionis causa, crassus atque glutinosus, & frigidus humor existit, initium curationis illius à sanguinis missione assumere, nequaquã auderem, dicente Gal. IX. methodi curatiuæ ad finem uerbum hoc, cuius morborum sua est curationis indicatio. Quippe à calido indicatio est refrigerandi, à frigido calefaciendi. Porro indubitato sanguinis missio ut in se totum refrigerat corpus, auctore Galeno, in libro de uenæ sectione. Neminem autem latere uelim, si assueta muliebria filia tuæ uiolentia quadam cohiberentur, quo fiet, ut pulmo, & thorax grauentur, & spirandi difficultas concreceret. Proculdubio è uena in deorsum



in tibiis sanguinem mitterem, iuxta id Galeni in libro de sanguinis missione ubi ait, nam plenitudines à suppressis mensibus ortas omnino per crura euacuabis, siue uenam secare oporteat, siue scarificare, porro ubi graui, atque uiolenta tussi sanguis ex pectore reiiceretur, in præsens quidem curata, cæterum cum sortita sit corporis stricturam in thoracis, pulmonisque partibus, uerè sanguinem mittere oportet, sermonem istum habeo à Galeno eodem in loco. At quoniam neque isto, uel altero symptomatum genere affecta est, quibus ad sanguinis missionem accurate me uertere cogar. Initium curationis affectionis asthmaticæ filia tuæ à sanguinis missione minime exordiar.

Verum si ea nostris salutaribus præceptis obsequetur, cum his, quæ de uictus ratione conscripsimus, tum aliis, quæ per medicamenta procedente sermone edocemus, summopere profuturum, neminem ambigere puto. &c.

Initio igitur ueris pereunte, eam medicamento purgari iubeo, porro purgationibus peridoneum est id tempus, auctore galeno in libro de sanguinis missione: uerum quoniam Hippocrates nos edocuit, secundo aphorismorum, nono, atque Galenus primo aphorismorum, commento uigesimo quarto. Vbi uidelicet quis corpora purgare uoluerit, oportet fluida facere. Mihi nempe assuetudo est, fluidum corpus facere medicamento in primis à latioribus uis excrementa deiciente, ne à prauis eorum flatibus spiritalium uires offendantur, atque hæ imbecilliores effectæ proximã asthmatis causam concoquere nequeant. Demum & id quotidianis sorbitionibus exequor, quibus difficilis spirationis materia concoquitur, atque spiritalia membra reficiuntur, quippe & faciles parantur scretus, quibus, in omnibus asthmaticis admodum lætatur, auctore Gale. VII. de compo. med. s. l. capite tertio.

Primum igitur deuoret filia tua, una hora priusquã uentriculum impleat id quod sequitur.

Florida



Floridæ cassiæ recenter eductæ, unciam unam & mediam, dulcis radicis in subtilem puluerem cōductæ drachmas duas accipito, in bolum redigito, & uorandum dato.

Eo porro die uictu regatur, madidi panis in puellæ iusculo. Decoctionis hyssopi, & helenii, minimum quiddam pullæ carnis esitando mane, atque uesperis.

Altero nempe succedente die priusquam solis ortus ad nos pertingat, antidotum hanc admodum commodam, atque septem non intermittentibus diebus epotam, ac tepidam sorbeat, crassos nempe, ac glutinosos, frigidosque thoracis, & pulmonis humores concoquit, attenuat, & dirumpit. Quippe & obserata uasorum orificia aperit, atque faciles sreatus concludit, quæ spirandi facultatem admodum iuuant.

Helenii radicis, Vnc.iii. hyssopi, prassii, saluiæ, mundæ glycirizæ, cuiuslibet unciam unam accipito. Anisorum, maratri drachmas duas his admisceto, gummi arabici, draganti, de quolibet drachmam unam apponito, quibus pernidiarum. Vnc.i. permisceto, & hæc in perlucida aqua quoad eius medietas euanescat, ebullito. Quippe suppressis his decoctionem colato, & spumato melle addito, & iterum ebullito, quoad perfecte coquatur.

Porro huius decocti uncias duas, oximelitis. Vnc.i. accipito, quibus aquæ thusilaginis uncias tres, admisceto, & potui dato.

Vbi uero Aluus adstricta esset, his diebus, quibus asthmatis causa concoquitur quotidiano utatur clysteri, non repleto uentriculo. Quippe affectione asthmatica actu nō afflicta. Vbi enim in affectionis naufragio merfa foret, certe longe uetare debet, quæ spiritalia exagitantia sunt membra, his enim spirandi difficultas ualde concrefcit, ut maxime sunt exacutis clysteria.

Mercurialis, uiolaria, altheæ, maluæ, chamæmeli, anisorum, crassi furfuris, cuiuslibet quantū manus una præhen-



dere potest accipito, atque ebullito quo ad aquæ media pars soluta fuerit, & eius colatæ aquæ libram unam accipito, olei rutæ, Vnc. ii. olei uiolarum. Vnc. i. uitellum oui unū zucchari unciam unam & mediam, cassiæ. Vnc. i. mellis rosati. Vnc. ii. & salis comunis drachmas duas imponito, & utere. &c.

Quippe & eisdem diebus iubeo. ut sensim lambendo ore modicum quid dicendi conditi crebro detineat.

Hyssopi pulueris unciam mediam, pulmonis uulpis sic ei non marcidi pulueris, drachmas duas, penidiarum, uncias duas accipito, & melle spumato addito conditum facito, eique oximellitis unciam unam apponito, & linctui seruato.

Cæterum octauo die fane indiciis concoctionis apparentibus priusquam nox è tenebris ad lucem uertatur, tali purgetur medicamento.

Mannæ electæ. Vnc. i. Diasebesten lenientis. drach. vi. agarici mersi in oxymelite scrop. iiii. addito paululo zinziberis, temporis interuallo horarum decem accipito, conditi de dactylis drachmas duas apponito, & cum thoracis idonea, atque comuni ebullitione eliquato, & succedente paululo somno sorbitioni dato, eo quippe die parcè uescatur, ne cibus natura occupata medicamenti purgatio pereat. Nonnunquam porro accidit in aluo medicamenti portiūculam relinqui, quo fit, ut ad aluum materiæ ducantur symptomata, spirandi facultati noxia progignentes, ob id iubeo altero succedente die clysteri utatur, aluum non impleto uentriculo ablutente, quale est confectum ex iusculo hordeaceo, zuccharo, & oui uitello.

Huius namque medicamenti opere exacto, confestim eo quod mihi admodum domesticum est, medicamento, filiam tuam uti hortarer, uidelicet, Vetusti galli iusculum potum, atque ita paratum.

Gallum antiquum uolatu atque flagello fessum, & decollatum,



collatum, immadidumque depilatum, quippe euisceratū,  
& uino albo aromatico peroptimè dilutum, atque mode-  
stè salitum accipito, cuius uacuum aluum his paululum  
contusis impleto, hyssopo uidelicet, saluia, sampfuco, sisim-  
brio, enula, iuiubis, sebesten, abrafa glyciriza de quolibet  
unciam mediam accipito, cum his anisos, cartamum, fœni-  
culum misceto, quantum minori pugillo capere poteris,  
gummi arabici, dragaganti drachmas duas, penidiarum.  
unc.iii. apponito, singulorū omnia in galli aluo suito, & in  
perlucida aqua expedientis semel quātītatis, quo ad galli  
carnes ab ossibus separentur, coquito. Quippe presso gallo  
atq; eiecto, iusculum colato, & ipsum ita potandum dato.

Iusculi galli uetusti uncias septem accipito, eiq; oxime-  
litis. Vnc.i. misceto, & priusquā omnino lux è nocte exeat,  
ipsum potui tepidum exhibeto. Quippe nullum intermit-  
tes diē, quoad septimus finierit dies, porro ubi his diebus  
aluus adstricta esset ex iusculo, sale, uitello oui, & Galeni ie-  
ra, atque rutaceo oleo & zuccharo clystere immittito.

Octauo uerò die purgatorio medicamento utere, ex co-  
chiis scropulos duos summito, ex agarico parato scropu-  
lum unum, cum melle rosato pillulas conficito.

Postremo eo temporis interuallo, quo totum uernale,  
atq; æstiuum tempus finietur, duobus cuiuslibet septima-  
næ diebus iubere uellem, priusquā cibus uentrem impleat  
succeedentis antidoti, drachmas sex deuoret, floris cassiæ,  
unciam mediam, mannae unciam unam, puluerum condi-  
ti, de trachacantha, drach.iii. penidiarum, Vnc.ii. pulueris  
thimi, hyssopi, cuiuslibet, drach.i. pulmonis uulpis, in sub-  
tilissimum puluerem deducti unciam mediam, de zuccha-  
ro quantum expedit, & antidotum formato.

Eo quippe tempore ea tedio non afficiatur, crebris, atq;  
quotidianis linctibus succedente uti liquore.

Hyssopum, mentā, thimū, buglosū, boraginē, thussilagi-  
nem, quantum manu capere possis accipito, glycirizam,  
caricas,



C O N S I L I V M

caricas, zizipha, sebesten, de quolibet unciam mediam sumito, atque in perlucida aqua ebullito, & colato, cui drachantam, gummi arabicum pondere duarum drachmarum, penidiarum uncias duas apponito, rursusque ebullito, cui colato tantum zucchari permisceto, quantum expedit, ut solidi liquoris essentia conducatur.

Vnum te non latere uelim, quod asthma peridoneum est, porro cum filia tua nocturno præparabitur somno, ore formula hac detenta sensim deorsum lambendo, tum lenitione thoracis, atque pulmonis meatuum, tum attenuatione crassorum humorum, & glutinosorum incisione screatus facile deiiciet, quo fit, ut instrumentis spirandi euacuat, facilis spiratio conducatur, hyssopi, thimi pulueres, pondere, drach. ii. gummi arabici drachacanti cuiuslibet, drach. i. succi glycirizæ. drach. i. & med. penidiarum. Vnc. med. accipito. Quippe his quantum mellis uiolati expedit iungito, & formulas lupinis adsimiles conficito.

Porro iubere uellem, eam quotidiana hac uti unctioe qua thoracis costas extrinsecus illinendo dilatationi totus thorax obediat, atque ipsius interna emollita, & in uigore adaucta faciles deiiciant screatus.

Hyssopi olei, unciam unam, dulcium amigdalorum, atque uiolati, & candidorum liliorum olei, cuiuslibet unciam mediam accipito, butyri, atque althææ succi, cuiuslibet, drachmas sex, croci drachmam mediam, his complicato, & ceræ quantum expedit, unguentum molle fabricato.

Nempe cum nocturno somno cubare uoluerit, coronalem iuberem contexturam subscribendo puluere superaspergere, quo fit, ut fluctio eorū, quæ desuper ad thoracem, & pulmonem confluunt, corrigatur.

Hyssopum, sampfucum, betonicam, rosas rubeas chamamelum, de quolibet drachmam unam capito, sandarachæ, masticis, thuris, corallorum drachmam mediam, hæc



in subtilissimum puluerem ducito, & usui seruato.

Cæterum si spirandi facultas adeo laboret, ut suffocatio-  
nis timor repentè filiaæ tuæ accidat, eo in tempore, quo ue-  
hementi labore infestatur, altera subscripta antidoto sen-  
sim lambendo utatur. Quo fit, ut crassi humores attenuen-  
tur, & glutinosi incidantur. Quippe & uasorum pulmonis  
obserata orificia aperiantur, humido siccato. Sulphuris ui-  
ui in subtilem puluerem reducti, atque in thusilaginis  
aqua per diem naturalem fusi, unciam unam accipito. Cui  
succum pomorum dulcium uncias duas, & mediam, penidia-  
rum uncias duas permisceto, & cum zuccharo quantum  
expedit conditum conficito primum.

Alterum est oximellitis uncias duas sumito, cui armo-  
niaci guttas tres permisceto, & potui dato.

Vellem autem te scire æstiuo currente tempore, nulla  
adhuc necessitatis spirationis indigentia opportuna, do-  
mestico die, noctuque filiam tuam subscribendo uti debe-  
re condimento asthmaticis peridoneo. Butyrum in hyssop-  
pi aqua lotum unciarum pondere quattuor, succi grana-  
torum dulcium Vnc. ii. penidiarum. Vnc. iii. sulphuris ui-  
ui ut dictum est parati, drachmas duas, recentissimi olei  
amigdalorum dulcium, Vnc. med. accipito, & cum zuccha-  
ro quantum expedit conditum expedito.

Quod si desuper ad inferna spiritalia fluctet materia,  
quippe spirandi uires thoracis atque pulmonis grauitas,  
asthmaticis admodum nocua iuberem ego, huiusmodi ca-  
pitis lotionem, quam modo dicimus puellam tuam sibi  
indubitato uendicare.

Thimum, stæcadem, maioranam, hyssopum, chamæme-  
lum, rosas rubeas accipito, eaque in aqua cineris non ad-  
modum leui ebullito, quoad tertia soluatur pars, & caput  
abluito.

Nempe Doctor Excellens uenirem interrogandus, si  
priusquam tempus uernale terminum suum possideat  
nonnullæ



nonnullæ apud Italiam thermarum aquæ filia tua sint of-  
ferendæ.

Tibi dicere auderem, si præceptis salutaribus Galeni atq[ue]  
Auicennæ subscribere cupiam. Quæ ex naturali minera  
sulphurea aquæ scaturiunt, indubitato ei, peridoneæ sunt  
potionis. Quippe his exquisitè peractis: illis uero serua-  
tis, quæ ipsius & similis aquæ potui obseruiunt, & con-  
gruunt.

Igitur intrepida fronte iubeo, priusquam uernale tem-  
pus è nobis effugerit, filiam tuam huiuscemodi sulphu-  
reas thermas adire, ibique potationi aquæ operam dare.  
Sanè huius iudicii testis est Galenus septimo, de compo-  
med. s. l. capite tertio. Cum in affectu difficultatis spirandi  
ob crassos, & glutinosos humores in bronchiis pulmonis  
obseratos, non paucis utatur antidotis, & ui, & essentia sul-  
phuris uiui munitis, quippe cum omnis spirandi difficul-  
tatis comune auxilium sit, superfluentem humiditatem,  
quæ affectum generat, destruere, atque consumere. Cumq[ue]  
hoc fiat per attenuantia & abstergentia medicamenta, atq[ue]  
exsiccantia, auctore Galeno eodem in loco, quale est sul-  
phur, ut dixit Galenus nono, de facultatibus simplicium  
medicamentorum, non ab re, quæ sulphuris uires sapiunt  
medicamenta, asthmaticis peridonea esse non ambigo, ue-  
rum & si huiuscemodi aquæ aluminis, atque nitri, salisq[ue],  
quadam facultate pollerent. Dum eorum sulphuris poten-  
tia uigeret, eas indubitato asthmaticis conuenire fateor,  
quibus crassæ, atque abundantis humiditatis exsiccatio sa-  
lutare remedium existit, auctore Galeno septimo, de com-  
po. med. s. l. capite tertio, quippe & hæc adsiccante ui ma-  
ximè pollent, ex Galeno quarto libro, de compositione  
medicamentorum per genera, capite primo, & tertio capi-  
te secundo, & Auicenna secundo canone, capite quinquag-  
esimo nono.

Cæterum posset quis interrogare, cum mineralia hæc  
adstrictoria



adstrictoria uigent facultate, ut eisdem in locis, a Galeno compertum est. Quæ cum spirandi potentia noxia sit, porro & asthmaticis admodum nocua erit.

Huic dicere auderem, neminem solis his affectui asthmatico uti debere, quemadmodum neque ulcera medicari ipsis solis conuenit, eorum enim adstrictoria uis ad cicatricem ducendis ulceribus hæc non admodum commoda sunt, auctore Galeno libro quarto, de compositione medicamentorum per genera, capite primo. Quippe hæc elota utilia magis sunt, minus enim lota, quam uis desiccant.

Tum longe meliora sunt, minusque mordacia, sicut ait Galenus. Cum igitur mineralia hæc elota morsum remittunt, atque minus siccant, magisque utilia sunt, pluris certe utilitatis, & nullius incommodi asthmaticis existere opinor, si eorum facultas essentia aquæ, & præsentis eius humiditatis commiscetur, ut in dictis thermarum aquis fieri contingit. Nempe eorum uis adstrictoria, atque exsiccatio tepescunt, humidi præsentia contra operantis, quo fit, ut opportune exsiccando spirationis uias non admodum adstringant.

Verum enim uero, si huiusmodi thermarum aquæ uis exsiccandi, quicquam incommodum qualitate adstrictoria spirandi uis intulerit, ut absque terrore laborans, eam sorbere ualeat, iubeo ipsum subscriptæ antidoti haustum, crebro eadem in die sensim exhaurire sorbereque.

Zizipha, sebesten, passulas, glycirizam, radices altheæ, & hordeum, de quolibet unciam unam accipito, & in perlucida aqua ebullito, atque colato, & zuccharum addito quantum expedit, ut iulep breue conficiatur.

Vbi uero fastidio laborans in sorbendo afficeretur, die noctuque, & candos, uel eas, quas usitato uerbo bichichias pillulas appellitant lambendo in ore detineat.



Nequaquam adhuc te turbari uelim obiiciendo, filiam tuam, hanc non debere potare aquam, ob id quod fluctione desuper spiritalia grauentur membra, quippe ea aqua cerebri pituitosas humiditates attenuate, eas fluctioni magis aptas parabit, quo fiet, ut spirandi facultas turbata plus laedatur, cui porro nos dicemus non ob id, quod fluctione desuper thoracis, & pulmonis membra spiratio difficilis reddatur, huius ei aquae potum consulimus, quippe praesens spirandi difficultas crasso, atque glutinoso, frigidoque liquore, bronchia pulmonis obserante ortum habere arbitror, cuius sane attenuatio, atque disruptio, & a calido frigiditatis concoctio, legitima est curatio, Quae omnia thermarum dictae qualitatis aquae, aperte expediunt. Nempe diutinae affectiones & si ab initio per consensum ortum ceperint, postremo temporis prolixitate propriae membro sunt factae affectiones, auctore Galeno libro primo, de locis affectis, & tertio aphorismorum, commento trigesimo primo.

Verum cum affecta per consensum pars, non penitus ab affectu libera sit, ut eodem in loco dixit Galenus, ob id lato animo iubeo filiam tuam non modo potare huiusmodi aquam, ut affectioni spiritalium iam diu factae auxilium afferam; uerum & eandem aquam ad contexturam coronalem ab alto cadentem, ualentius suscipere. Quo fit, ut fluctioni fouenti, quod iam uetustum est, salutare remedium conducam, eo enim occursum quod frigidum est, calido concoquetur, quod crassum attenuabitur, atque capitis uires roborabuntur, ut pituitosum humorem non progignant, procreatumque soluant. Quo fit, ut a fluctione spirandi membra libera, spirationis facultatem non grauent.

Verum ob errata, quae in uictu contingunt non modo morbi fiunt, sed & temporibus, quorum naturae, atque mutationes morborum naturis affines sunt. Auctore Galeno



tertio aphorismorum, commento decimo nono. Quippe cum autumnali tempore anhelationes, quas greci asthma ta uocant recidiuare solent, ut ait Hippocrates tertio aphorismorum trigesimo primo, non ab re autumno procedente, filiam tuam iterum purgatoriis, uti medicamentis, ut ab initio curationis exposui consulimus. Quam ob rem cum autumnus tempus ad nos adierit, eam septenis inscriptis sorbitionibus haudquaquam intermittente die, priusquam nobis sol elucescat, uti uelim. Nempe his, asthmatis causa concoquetur, atque facile deiectioni per sputum obediet, quo fit, ut spirandi instrumenta euacuentur, & spiritus ualentius fluctitare ualeat.

Enulam, radices altheæ, cuiuslibet unciam mediam, hyssopi, præsii, calamenti, fœniculi, anisorum, unciam mediam, boraginis, buglossi, thusilaginis unciam mediam, glycirizæ, sebesten, ziziphorum unciam mediam accipito, & in limpida aqua ebullito, quoad eius media pars soluta sit, & colato, & cum spumato melle, ut expedit, tepido igne syrupum conducito. &c.

Vtere sic illius uncias duas sumito, cui aquam hyssopi, adianti buglossi, cuiuslibet pondere unius uncia misceto, & potui dato.

Cæterum cum concoctionis indicia adierint sic purgato.

Mannæ unciam unam. Diasebesten lenitiui, unciam mediam, ieræ Galeni specierum drachmas duas, præparati agarici unius drachmæ partes duas accipito, & cum aqua decoctionis pectoralis omnia solueto, & potui dato.

Hyberno nempe tempore procedente, quod experientia frequentius didici, id filia tuæ, salutare remedium esse non dubito, uidelicet si octo dierum temporis interuallo, terebintinam bis non pleno uentriculo capiat. Quippe assumptionis mensura trium sit drachmarum, uidi hoc a Galeno libro quinto, de tuenda sanitate ubi ait, similiter &

CCC ii terebinthi



terebinthi resinam. Sumitur autem ea aliquando nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum, triumue. Quippe non modo aluum soluere citra noxam potest, sed etiam uiscera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonemque abstergere.

Non te latere uelim, si principis mentem prosequi uelimus, ut nos edocuit secundo canone, cap. CCCX. eam tali cōditam modo patienti omni die condonabimus.

Terebentinæ uncias sex, mellis spumati uncias tres, pulueris dulcis radicis unciam mediam accipito, atque permisceto, & nucis magnitudinem dato.

Porro aliud ex terebentina conditum, mihi sanè familiare & domesticū in asthmatica affectione expertum, pondere uncia mediæ patienti omni die datum.

Terebentinæ uncias sex, succi enulæ, succi althææ cuiuslibet unciam unam, & mediā, pinguium caricarum uncias duas, succi hyssopi, succi brassicæ, cuiuslibet unciam unam, pulueris glycirizæ, pulueris pulmonis uulpis, cuiuslibet drachmas tres, butyri recenter facti unciam unam, olei amigdalorum dulcium recentis unciam mediam sulphuris uiui per noctem in aqua uiolarum fusi unciam mediam, armoniaci in oxymellite dissoluti guttas quattuor accipito, & cūm zuccharo quantum expedit cōditum fabricato.

Aliud ualentioris facultatis, & in asthmate pluris iuua menti est, quippe à me compertum, atque nomine dyaburum benedicti appellitatum.

Butyri recentis, in perlucida fontis aqua decies eloti uncias quattuor, caricarum, pini nucleorum passularum, datilorum, amigdalorum amararum, singulorum uncias. ii. succi glycirizæ, drachacanti, cuiuslibet unciam mediam, hyssopi, ireos, thimi, satureiæ, prassii, pulegii, sem. urticæ, singulorum unciam mediam, cinnamomi, piretri, cuiuslibet drachmas tres, gariophyllorum, galangæ, piperis nigri, anisi, carui, cardamomi, singulorum drachmas duas, li



gni aloes, nucis myristicæ, cuiuslibet drachmam unam, aquæ mellis libr. quattuor accipito, atque sic conficito, caricas passulas, & dactilos, quippe omnibus peroptime tritis in aqua mellis triduo fundito, postea lento igne coquito, & uiolenter succum exprimito, cui tepido succo butyrum, atque mellis spumati libras sex misceto, & iterum lento igne ebullito, iterumque colato, cui pini grana, & amigdalas bene omnia tūsa, addito, quæ omnia in uase nulla intermissione optime ducito, cæteraque in subtilissimum puluerem reducta, illis immittito, & pulmonis uulpis in puluerē facti unciam unam iungito, & diutius permiscendo, conditum conficito.

Porro te non latere uelim, his, quæ prædiximus, uarie uti expediet, neque uno tantum electo, id perpetuò exhibere, cui namque assuefacta temporis spatio sumentis, natura eius uim contemnet, auctore Galeno quinto, de tuenda sanitate, & in libro experimentorum capite ultimo, & Auicenna quarta primi, cum ait, neque semper cum una standum est medicina. &c.

Postremo quis rogauerit, cum his, quæ prædiximus nullum apertè laboranti iuuamentum succedat, an aliquam illius corporis particulam urere idoneum sit.

Vellem te scire Doctor Excellens, opus illud, quod urendo manu posita a nobis progignitur, postremum medicinæ prisce appellitant, porro si his, quæ in uictus ratione præcedente sermone conscripta sunt, nullum filia tua iuuamentum palam concapescat, minusque his medicamentorum potionibus indubitato iubeo, uel alteram earum particulas urere, peridoneum fore. & cet.

Hæc quippe sit uel inter dextri musculos brachii in parte syluestri, aut spatulæ ab eorum superiori colligantia distanter digitorum quattuor spatio, uel deorsum in crure eodem sane spatio sub genu, in parte syluestri inter duos  
illius.



CONSILIUM XVII.

illius musculos. Nempe his, humores, qui thoracis ac pulmonis partes occupant, ad externa deriuantur atque euacuantur. Qui uero ad eas confluunt, ad contrarium retrahuntur. Intrepida igitur mente hortor, iubeoque, filiam tuam huiuscemodi medicamento fatigari debere, ob eius utilitates, atque laudes, quas ei Galenus sexto epidimiarū libro, & Auicenna quarta primi. Et Albucasis in libro operationis manualis concessere. Ad illius bene merentis gloriam, qui uires corporum gubernat, atque custodit. & cet.

Benedictus Victorius Fauentinus

sic Dixit. &c.





## AD CATARRHVM ET ASTHMA,

Pro quodam nobili & excellenti Doctore  
Neapolitano.

## Consilium XVIII.



**N**obilis quidam, & Excellens Dominus Neapolitanus temperaturæ biliosæ in primo senio constitutus catarrho corripitur à capite ad thoracis partes, & pulmonem irruente, ubi repletis meatibus pulmonis, accidit ei difficilis anhelitus, & aliquando insignis sonitus in spiritalibus, ac si oregmonem pateretur, quo fit ut D. sua submittatur timori subitæ suffocationis, & mortis propter id, quod dixit Galenus secundo aphorismorū, commento quadragesimo tertio, strangulati, ac dissoluti, & cet. Nempe igitur ex dictis his, ponemus D. suam pati asthma, & per consensum à capite, & per essentiam in pulmone, quoniam utroque modo potest asthma progigni, Auctore Galeno tertio aphorismorum, commento trigesimo primo, à capite quidem per fluxum materiæ ab eo ad pulmonem. In pulmone uerò per pedetentim factam materiæ in uis pulmonis cōgestionem, ob quam rem nobilis hic Dominus timens ne repente suffocetur, à nobis salutifera exoptulat præsidia, ut his gratia Dei malá hanc fortunam fugere ualeat.

Nos igitur honestæ suæ petitioni obtemperantes, potioribus, quibus poterimus auxiliis Dominationem suam ab hoc morbo præseruabimus, curabimusque.

Et utemur triplici instrumento in hac cura, iuxta modum curationis morbi naturalis, datum à Galeno, in libro de partibus artis medicatiuæ, & in libro experimentorum capite ultimo, & undecimo methodi, capite quinto, scilicet,



C O N S I L I V M

cet, uictus ratione, & medicinarum potione, & manuum operatione. Et hanc sententiam approbat, Auicenna quarta primi, capite primo, Sed quoniam uictus ratio, ut dicunt, nobilius est instrumentum curationis cæteris, ab eo exordiamur.

DE AERE.

**P**Rincipium faciendo ab aere. Ab ambiente enim nos aere corpus nostrum admodum mutari contingit, auctore Galeno tertio, artis medicinalis, & tertio methodi curatiuæ, capite octauo, & nono, methodi non longe à fine, ubi ait. Ambiens uerò is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, & primo, de tuenda sanitate non modicam expedit uim Galenus ipsius tuendæ sanitatis, in boni aeris electione. Eligat igitur D. sua aerem sibi non crassum, neque nebulosum, neque clusum, nullum recipiens perflatum iuxta illud Galeni primo, de tuenda sanitate, ubi ait, nec qui ob stagnum, uel flumen uicinum, nebulosus est aer, nec editis undique montibus in cauo loco clusus nullum recipit perflatum, suffocàs enim, putrisque est. Proinde D. sua locum Domus accurate sibi conducatur, in quo non sit inclusus aer, perflatus defectum sustinens. huiusmodi enim aer omni plane ætati noxius est, ut dixit Galenus. Caueat quoque ab aere fumo, uel puluere affecto cum enim corpus intrat facultatis animalis transitum tollit uiarum spiritus clausione.

Sit igitur eius aer calidus, & siccus, plus quippe siccus, & non admodum calidus, non tamen frigidus, quoniam ex capite distillationibus thoracem offendit, auctore Galeno quinto aphorismorum, commento uigesimo quarto. Neque sit admodum calidus propter Galeni uerbum, quinto aphorismorum, commento uigesimo secundo, ubi ait. Calor extrinsecus in capitis dispositionibus facit hæc eadem scilicet distillationes. &c.

Nempe humidum acrem fugiat, qui & stagni & paludis



dis habitu sit infectus, & qui ex cloacis malam spirat auram, & qui ex animalium, & olerum, aut leguminum putredine uitium contraxit, aut fimo coinquinatur, caput enim grauitat, & animale spiritum offendit, & spirationem prohibet, ut Galenus dixit primo, de tuenda sanitate.

Nempe aer D. suæ calidus sit, quoniam ut dixit Galenus quinto aphorismorum grauitates capitis sanat, cōcoquēs, atq; dissoluens quæcunq; molestant, & ipsum thoracem.

Vbi uerò natura aer calidus & siccus defecerit eo in loco quo . S . D . moram trahit, aut hybernū fuerit tempus. Tunc leuibus aromatum suffitibus utatur, Quod si ei noxium fuerit, quod de fumo exit. Sola aromatum præsentia in loco mansionis suæ contentus sit, ut quod de odore ab aromatibus expirat, quæ sua ui aperiunt uasorum obferata orificia, & crassitudinem extenuant, & omnibus frigidis & humidis dispositionibus corporis occurrunt, ut testatur Galenus ut supra.

At aromata sunt, cinnamomum, gariophyllum, macis, nux myristica, lignum aloes, moschus, ambra, cortices citrii, arantiæ, mastix, thus, & similia.

#### DE CIBO, ET POTV.

**P**Anis electio sit de tritico, quoniam triticū nedū apud oēs nationes frequentissimè, immo summa cū utilitate usurpatur, auctore Gale. I. de facultatibus alimentorum, cap. ii. Ex triticeis nāq; panibus D. suæ peridoneus est ille, qui ex tritici simula cōditus est. Sincerissimus enim panis est, nō grauitans, nō flatuosus, neq; deorsum aluū replens, & peroptimè nutriens, ut ait Gale. Sitq; panis nō admodū fermentatus: sui. n. superfluenta acetositate noxius est cerebro, neruis, & thoraci. Quippe neq; omnino fermento careat, propter illud uerbum Galeni primo, de potentiis alimentorum, capite secundo, ubi ait. At qui omnino fermento caret, nemini prorsus erit accommodus.

Non sit eius panis salitus, contumax enim est thoraci, &

DDD

cerebro,



cerebro, ut ait Galenus secūdo de comp. med. s. l. cap. xviii. Sal enim graue & noxium est propter grauedinem, & potissimum in capite. Sit & panis optime coctus, & non admodum, ut qui cruda, incoctaque interiora habet, ambusta uerò obarida, & crustacea exteriora, difficulter enim permeat, & crassos humores progignit, & thoraci, & cerebro noxios. De quo loquens Galenus primo alimētorum capite secundo dixit. Is enim deterrimus panis censendus est, & uentriculo inimicus, qui in crustaceis admodū adurit, in intimis uerò incoctus relinquitur, sit igitur eius Panis recens duorum, uel trium dierum, & non calidus comedatur, quoniam ut dixit Auicenna secundo, canone, capite. DLXXIII. Panis enim calidus non est apud naturam receptibilis, sitim facit, & natat propter suam uaporosam humiditatem nocuam cerebro, & thoraci.

Vinum, de quo dicam cum Galeno primo, de tuenda sanitate, & in libro exhortatio ad bonas artes. Cum sit omnis excessus fugiendus, maxime illum fugere expedit, ex quo non corpori modo, uerum etiam animo damnum accedit, ob quam rem cum corpori D. suæ uini potus damnum ingerat, nedum haustum gustare suaferim, uerum & omnis uini potionem denegarem, Nempe cum repleti caput in pulmone patiente sit inutile, uinum halitu caput replet. Idcirco uinum ei noxium est.

Nempe si consuetudine sui, uel inordinata illius appetentia, uel uiolento medicorum irritatu ad uini cogar portionem tribuendam, sit uinum album tenue imbecillum uirium, ut caput minime percutere ualeat, & bene aqua mixtum, dixit enim Galenus primo, de tuenda sanitate, & quinto, de locis affectis capite quinto. Tale enim uinum ut uentriculum robustum efficit, ita haudquaquàm tētat caput, id quod facere solent ea uina, quæ uehemētes uires obtinēt. Erit igitur conueniens eius potus mulsa decoctionis hyssopi, & saluæ quā & uino poterit permiscere, &c.

CARNES.



## CARNES.

**V**etustorum itaque pedestrium animantium carnes ca-  
uere debet, ut bubula caro, ut dixit Galenus tertio, de  
facultatibus alimentorum, capite primo, bubula uero ali-  
mentum ipsa quoque non exiguum, nec discussu leue pre-  
stat, sed sanguinem crassiores, quam par est progignit, co-  
mitantur autem hanc capreolorum caro, & ceruorum, a-  
rietumque, & castratorum uetustorum, hæ enim tempo-  
ris uetustate terrei alimenti naturam sibi concesserunt, ut  
ex feculento sanguine procreatæ nocent uirtuti animali,  
& spiritali, & cerebro, & pulmone contumaces carnes illæ  
censentur à Galeno ut supra.

Carnes uero ei conuenientes sunt temperaturæ calidæ,  
& siccæ, uel natura uel arte præparatæ. Ideo omnes Aui-  
culæ syluestres in arboribus degentes, ac uictum in siccis  
locis trahentes admodum ei conuenientes sunt elixatæ  
quidem potius, quandoque uero tostæ, ut ficedulæ, turdi,  
merulæ, palumbi syluestres, francolini, & similes. Quod  
si domesticæ aues fuerint ad maiorem siccitatem paren-  
tur cum hyssopo, saluia, & adianto. Quales sunt capones,  
gallinæ, fasiani, perdices, & similes, De quadrupedibus au-  
tem sunt, ei conuenientes. Vituli lactantes, hædi, iuuenes  
cuniculi, & tales, omnibus quidem præparatis cum hyssopo,  
& enula, & fugiat omnes aues in aquis degentes, cum  
sua humida temperatura sint ei nocuæ, ut anseres, & ana-  
tes. & cet.

## PISCES.

**Q**uoniam apud Galenum sexto de usu partium, ca-  
pite nono, compertum est omnibus animantibus.  
Pisces frigidiores esse, naturaque humido abundan-  
tes. Ideo illos D. S. non concedimus. Illos sanè, qui in cæ-  
nosis, & sordidis aquis uescuntur. Porro & qui in paludi-  
bus, & lacubus capiuntur, excrementitia namque, & muco-  
sa est admodum eorum omnium caro, auctore Galeno ter-



tio de potentiis alimentorum, capite uigesimo quarto.

Fluuiialium namq; piscium non adeo ei noxia est, eorū caro, & tanto minus, quanto fluminis aqua rapida, & multiflua est, ipsius enim torrentis fluxu pisces fatigantur. Quo fit, ut eorum caro minus excrementitia, minusq; mucosa sit.

Pisces autem, & non ualde grandes, qui liberum, & purum mare natant, sunt ei parum boni, maximè cum uentorum difflatu agitatum attollitur, ut dixit Galenus tertio, de potentiis alimentorum, cap. XXIII. In silente namq; mari, nullisque agitato fluctibus, tãto piscium caro uilior est quanto minus exercitata. Saliti pisces ei contumaces sunt, propter illud Galeni secundo, de comp. med. s. l. cap. XVIII. Sal anxiatium est propter grauedinem, & maximè in capite & thorace.

## O V A.

**Q**uæ ab animantibus oua nascuntur, a Galeno tertio, facultatis alimentorum, cap. XXI. inter hominum numerantur alimenta, quorum summam alimoniam laudem gallinarum oua obtinent, eorum autem uitellus est ei cõueniens, plusquã albumen. Sintque oua ex esu suo comuni, recentia, & non diu asseruata. Dixit enim Galenus libro dicto, optima sunt recentissima oua, pessima perquandiu asseruata, dura quoque oua sunt ei nocua, Porro sint tremula oua, atque sorbilia, quæ ei concedimus iuxta Galenum eodem in loco, ubi ait. Tremula molliãue oua, omnium bellissimè nutriūt, & in aqua sint cocta, ob id quod in feruentibus cineribus assata, longè tardioris sunt meatus, & crassioris succi. Neque eius oua in sartagine condimento parentur, quoniam ut ait Galenus deterrimi sunt alimenti, dum namque in sartagine coquuntur, nidorem, ac fumum edunt, succusque ex eis prognatus, non solum crassus, uerum etiam prauus, & excrementitius est, & spirationi incommodus. &c.



## DE LACTE.

**L**Ac numerandum esse inter cibos, qui ab animalibus proficiscuntur, compertum est à Galeno tertio, de uirtutibus alimentorum, capite decimo quarto, & in libro de cibis boni & mali succi, si attendimus capiti D.S. ei nequaquam dabimus lac, propter illud uerbum Galeni quinto, aphorismorum cōmento sexagesimo quarto, ubi ait, Lac uero, quod benè coquitur nutrit, & bonos facit humores, & dum coquitur his pariter attollit ilia, & caput tangit. Vbi uerò pulmonem inspexerimus, lac ei condonabimus diluit enim, & abstergit, atque pulmonem mundificat, ut dixit Galenus quinto de morbis curandis.

## BUTYRVM.

**C**vm ex eo quod in lacte pinguisimum est, butyrum progignitur, atque leniendi facultatem sibi conducit, & molliendi, concoquendique, & resoluendi uim habet, auctore Galeno decimo, simplicium medicamentorum, capite undecimo, certè D.S. butyrum non denegarem, præsertim si butyrum elotum fuerit aqua hyssopi, & adianti, & cet.

## CASEVS.

**C**aseum à tota sui natura D.S. contumacem arbitror, & quanto antiquior, tanto deterior, & calidior, & urētior, concoctionique contumacior, & deterrimi alimenti procreator, ut ait Galenus tertio, de facultatibus alimentorum, capite decimo sexto. &c.

## FRVCTVS.

**E**os fructus, quos arboreos appellitant, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno secūdo alimentorum, capite septimo, à tota ipsorū rei natura D.S. edendos non darem. Hi enim quorum mollis, atque humida est consistētia, nedum tenuem, humidamque ex se alimoniam corpori afferunt, uerū & flatuosam, cerebro, & uentribus ac pulmōni noxiā, quales sunt ficus, pira, poma, persica, armenica,



ca, cerasa, pruna, & huiusmodi. Nempe si ut pueri uoraci appetentia pulsus, quempiam horum cuperet, maturas ficus, ueluti minus nocuas concederem, minus namque prauis succi adgenerant omnibus his, qui fugaces, & autumnales uocantur fructus, & si penitus huius uitii non immunes reddantur ficus, iuxta Galenū secundo alimentorum, capite octauo. Porro poma, & pira sub feruentibus cineribus cocta nonnunquam esitare poterit, excalfaciens enim ignis, nedum humidum nocuum minuit, uerum & spiritum flatuosum sensim excernit, soluitque.

Verum enim uero cum solidæ consistentiæ fructus adfuerint, qui adstringente uis admodum pollent, eos certe D. S. non concederem. Qualia sunt cidonia, mespila, sorbanuces, & huiusmodi, hi porro nedum in transeundo non celeres sunt, uerum & crassum atque glutinosum, adstringentemque succum progignunt, omnino spirationi nocuum. Atqui huius adstrictoriæ facultatis dulces amigdalæ nihil fortitæ sunt, quippe abstergendi, & extenuandi uis pollent, Quo fit, ut suæ D. idonea esca comprobentur, atque neque caput grauitabunt, si post earum excorticationem tribus in calida aqua horis permanferint.

Nuces autem auellanæ adstringentis facultatis uis pollent, auctore Galeno secundo alimentorum, capite uigesimo octauo. Quo fit, ut nedum hæ, & iuglandes nuces ei esca efficiatur nocua, uerum fluxiones desuper mouentes difficilem reddunt spirandi facultatem.

### LEGVMINA.

**O** B id quod legumina nulla gratia, nullaque iucunditate prædita sunt. Quippe & flatibus admodum implent uentres, auctore Galeno primo, de potentiis alimentorum, ea proculdubio D. S. cuiusuis generis paratus fuerint, ingratas escas pronuntiabo. &c.

OLERA.



## OLERA.

**Q**uæ ex oleribus esitare debet S.D. excalfacientia, atque exsiccantia sint. Qualia sunt hyssopus, salvia, betonica, sceniculus, adiantum, & huiusmodi, hæc enim crassos, & frigidos humores, hærentesque attenuant & abstergunt. Quæ uerò frigida, & humida sunt temperaturæ ei nocua sunt. Qualia sunt lactuca, endiuia, beta, spinachia, & huiusmodi. Vbi uerò ex ambobus comunem parabis escam peridoneum erit. Neque terræ bulbi, qui mordaci acrimonia præditi sunt ei concedendi, Qualia sunt allia, cæpæ, ascaloniæ, porri, & talia, nedum enim tangunt caput uerum defluxu ad thoracem pulmonem replent humiditate adstringente spirationis organa, porri tamen, si cocti sub cineribus uel in aqua cum melle parètur, ei esca peridonea censetur. &c.

## EXERCITIUM.

**A**it Galenus primo, de tuenda sanitate. Humani corporis excogitata dimotio non solum, ad sanitatis tutelam, uerum & ad bonam corporis habitudinem necessariam esse prisca omnes prædicarunt. Quo fit, ut ei plus conueniat moderata dimotio, quàm immoderata quies. Dum tamen D. S. præsentia Asthmatis non corripitur. &c.

## SOMNVS, ET VIGILIA.

**S**i ambo, somnum, uidelicet, & uigiliam coniectari uoluero, hæc fieri secundum innati caloris motiones cõperiam, auctore Galeno secundo aphorismorum, com mēto primo, somnum quidem ad intima corporis, uigiliam autem ad exteriora, natiuo calore promotio. Quam obrem cum in somno multo, natiuo calore ad intima uocato, ex halitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus fluxiones ad cavitates membrorum conducuntur. Idcirco nollem D. suam multo gaudere somno. Cavitatis enim thoracis plenitudo, spirandi facultatem difficilem reddit,  
non



non ab re ipsam diuturno somno priuari crediderim.

ACCIDENTIA ANIMI.

**G**Audeat patiens, & non tristetur, nam mœsticia, seu tristitia reuocat spiritum, & calorem ad cor, & exteriora algescunt membra auctore Galeno, de symptomatum causis. Quo fit, ut cum algor inimicus sit thoraci ex mœsticia spirandi facultas lædatur. &c.

REPLETIO.

**N**Eminem admirari uelim, si uitiosam ciborum, atque potuum repletionem, & malorum succorum simplici uerbo damnari dignoscet. Sane cogor id fateri, Galeni uerbo primo aphorismorum, commento tertio, ubi ait cum enim uasa cibus, & potibus fuerint supra modum repleta, periculum est, ne disrumpantur, aut calor natiuus suffocetur. Quam ob rem quoniam patiens timore suffocationis terretur, non impleatur, uentres quoque moderate inanire cogatur, aut cibi, & potus parsimonia, aut sensim cum purgatorii medicamento euacuatione, qua membra humorum abundantia non grauentur, quod facultati spirandi peridoneum est.

Cum iam a nobis ostensum quali uictus ratione nobilis hic Dominus tuendus sit, alteram rem nunc aggrediar, quam morbi profligandi facultatem, Galenus libro primo, de tuenda sanitate appellat. Nempe quoniam morbus diutinus est, ut & alii morbi longi, ob crassos, lentos, ac frigidos humores fiet, quo fit, ut non facile concoqui possint, auctore Galeno secundo aphorismorum, commento decimo nono. Quippe & in patientibus partibus adeo humores hi impacti, agglutinatique sunt, ut eorum dispositiones magis præduris tumoribus, quam inflammationibus assimilentur, ut Galenus eodem in loco sensit. Idcirco curationis modus suæ affectionis eadem die medicari, uti in acutis morbis, non modo irrationalis, uerum & fallax, atque periculosus, auctore Galeno primo aphorismorum,



rum, commento uigesimo secundo, quo fit, ut sensim huiusmodi affectum medicari operepretium sit. Tum altero die morbi causam concoquendo, tum concoctum excernendo, ut docuit nos Galenus primo aphorismorum, commento uigesimo quarto, & secundo aphorismorum commento nono.

Sane igitur nullo prorsus ductus errore mihi suadeo, D.S. binis medicationibus per anni temporis spatium medicari oportere. Vna uernali, altera uero autumnali tempore. Quippe huiusmodi medicationes præcauentes erunt morbum, qui futurus est, atque curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, atque curandi morbum, eodem scopo amplectar.

Initio igitur ueris pereunte. D.S. medicamentis purgari iubeo. Porro purgationibus peridoneum est id tempus, auctore Galeno in libro de sanguinis missione, uerum quoniam, Hippocrates nos edocuit secundo aphorismorum, commento nono, & Galenus primo aphorismorum, commento uigesimo quarto. Vbi uidelicet corpora purgare uolueris, oportet fluida facere, mihi nempe assuetudo est fluidum in primis corpus efficere, medicamento à latioribus uis excrementa eiiciente ne à prauis eorum flatibus principalium uires offendantur, & hæ imbecilliores factæ proximam morbi causam consocio adhuc calore concoquere nequeant. Hunc igitur medicandi modum expediam quotidianis sorbitionibus, quibus asthmatis, & catarrhi causa concoquetur.

Primum igitur deuoret D. S. uesperis priusquam uentrem impleat, quod sequitur.

Floridæ cassiæ recenter eductæ. drac. x. accipito pulueris hyssopi, atque betonice, glycirizæ ue, æqualiter dra. i. sumito omnia misceto, & bolum conficito, & uorandum dato.

Altero nempe succedente die priusquam solis ortus ad nos pertingat, sequentem antidotum admodum com-



C O N S I L I V M

modam, atque septem non intermittentibus diebus epotam, ac tepidam tribues. Crassos nempe, ac glutinosos, frigidosque humores concoquit, attenuat, & disrumpit. Quippe obserata pulmonis orificia aperit, & hoc spirandi facultatem admodum iuuat.

Hyssopi, prassii, betonicae, florum stacados arabici, unguulae caballinae aequaliter quantum manus capere potest, glycirizae mundae, passularum sine osse, aequaliter. Vnc. med. Zyzipha, sebesten, aequaliter numero quindecim. Coquantur, colenturque, & cum melle, & colatura fiat syrupus. Imponito autem tu in panno lineo ligata haec in syrupo. Semina cartami, tartari, uini albi, pulmonis uulpis, armoniaci, aequaliter. drach. i. & unica ebullitione ebulli, iterum colato, & usui seruato, & patienti sic ministrato. Praedicti syrupi. Vnc. ii. accipito, & cum aquae distillationis hyssopi, & betonicae, aequaliter Vnc. ii. potui dato.

Ceterum octaua die, indicibus concoctionis apparentibus priusquam nox est tenebris ad lucem uertatur medicamento sic purgetur. Helenii glycirizae passularum. Vnc. med. accipito, sebesten, zizipha aequalem numerum accipies ut. x. florum boraginis & buglossi, & hyssopi, & prassii, & betonicae, & stacados, aequaliter drach. ii. accipito, omnia ebullito, colatoque. Et sic utere agarici optimi per horas nouem in oxymellite. additis granis sex zinziberis infusi drach. ii. Diasebesten lenitiui. Vnc. i. sumito. Ellectuarii de dactylis drach. ii. & med. apponito, & simul omnia praedicta cum ebullitione dissolue, in potu tribue.

Instante uero ueris tempore permeante aestate post, iuberem iis in temporibus sequentibus praesidiis uti D. S. Alternis diebus, mane tribus antequam esitare uelit horis, sequentis mixturae. Vnc. med. ingurgitet. Mannae electae. Vnc. iii. accipito. cassiae recenter eductae. Vnc. i. sumito, quibus penidiarum. Vnc. iiii. & olei dulcium amigdalarum recentis, unciam unam apponito, & omnia bene misceto,  
& usui



& usui seruato.

Item iubeo D. suam repente cum mane lectum exierit crura à genu ad pedes sequenti balneo diluere, chamæmelum, betonicam, stæcadem, calamentum, abrotanum, sampfucum, saluiam, hyssopum, æquis portionibus accipito. Radices enulæ, & ebuli æqualiter apponito, omnia simul in aqua ebullito donec aquæ tertia pars dissoluta sit, & colato, & usui seruato.

Item consulo omni uesperi cum uult cubare, sequentis mixturæ coclearia tria ingurgitet, dormiatque.

Succum hyssopi, & prassii, & enulæ æqualiter accipito, uidelicet. Vnc. ii. & unica ebullitione bulliant, & pulmonis uulpis in puluerem redacti. drach. ii. & penidiarum similiter unciam unam, & candi similiter in puluerem ducti additi. Vnc. med. & oxymellitis lib. unam & mediam, misce to, & ebullito ad oxymellitis medietatem consumptam, & reliquum pro patiente seruato.

Item Hortor D. suam eodem in tempore iusculum galli antiqui per septem dies continuos prope diluculum sic præparatum forbere.

*Iusculum galli  
deceperitis.*

Gallum antiquum uiuum fatigato, flagellatoque, nondum mortuum, post uerò ipsum decollato, ut bene à toto sanguine mundus permaneat, ipsumque euiscerato, & aqua thusilaginis diluito, uentrem illius rebus mox dicendis impleto, sutoque, & usque ad carnis consumptionem coquito, pressioneq; uehementi colato, tota superante pinguedine amota, sic utere.

Galli uentrem primo sic adimpleto, adiantum, thusilaginem, glycirizam mundam, passulas enucleatas æquali pondere unciam unam, assumito, zizipha, sebesten, numero æquali, quindecim, Semina cartami, tartarum, uini albi æqualiter. drac. i. & facito ut dixi.

Deinceps illius iusculi bene colati. Vnc. vi. assumito, cui hyssopi, & oxymellitis syrapi æquali pōdere unciam unā

EEE ii apponito,



C O N S I L I V M

apponito, & potui prope diluculum patienti calidū dato.

Octava uerò die priusquàm per duas horas sol oriatur sequentes pillulas ingurgitet. Recip. de pillulis agarici mesuæ, drach. i. pillulas quinque conficito, easq; deglutito.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt non modo morbi fiunt, uerum & ab anni temporibus, quorum naturæ, atque mutationes morborum naturis affines sunt, auctore Galeno tertio aphorismorum, commento decimo nono, & primo aphorismorum, commento decimo quarto. Quare cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere solent, auctore Hippocrate tertio aphorismorum uigesimo tertio, non ab re autumno procedente D. S. iterato purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis exposui, facile iuberem. Quam ob rem cū autumnus ad nos adierit, eam septenis inscriptis sorbitionibus nullo intermittēte die priusquàm nobis sol clucescat, uti uelim. Recip. syrupi de prassio, syrupi de hyssopo, syrupi de liquiritia, syrupi de betonica, syrupi uiolati ana. Vnc. med. de aquis, ut betonica, capillorum ueneris, & hyssopi, & æquales partes, ut Vnc. i. misceto, & potui dato.

Cæterum cum coctionis indicia apparuerint, sic purgato. Recip. pillularum cochiarum almansoris, pillularum de agarico mesuæ ana. drach. med. ex his pillulas quinque conficito, & ante lucem exhibeto.

Hyberno uero tempore succedente, quod experientia frequentius didici, id D. S. salutare præsidium non ambigo, si octo dierum temporis interuallo terebinthinam bis non impleto adhuc uentriculo mane D. S. capiat. Quippe assumptionis mensura sit drachmarum sex, uidi hoc apud Galenum quinto, de tuenda sanitate, ubi ait, similiter & terebinthi resina, sumitur aliquando nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum, triumue. Quippe non modo aluum soluere citra noxam potest, sed etiam uiscera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonemque abstergere.

Postremo



Postremo uenirem ego interrogandus, si iis, quæ prædiximus nullum aperte iuuamentum laboranti succedat, an aliquam illius particulam urere idoneum fuerit. Nempe neminem ambigere uellem opus illud, quod à nobis manu posita urendo efficitur, postremum præsidium medici appellitant. Porro dico si iis, quæ in uictus ratione præcedente sermone conscripta sunt, nullum D.S. præsidium cōcapescat, minusque iis, quæ medicamentorum potionibus diximus, iubeo alteram illius particulam urere, per idoneum fore. Quippe quod à me expertum est, si deorsum in cruribus fiat, in dextro quidem crure ustio, à genu distanter spatio digitorum quattuor inter duos illius musculos in parte syluestri insigne præsidium D. S. associabitur. Quippe & hæc uia est ad præsentis morbos D. suæ curandos, & futuros præcauendos, nempe hac ustione facta, humores, qui caput, & thoracem, & neruosas corporis partes occupant, ad exteriora eo foramine euacuantur, auctore Galeno sexto epidimiarum, ad illius bene merentis gloriam, qui nos gubernat, & regit. Amen.

FINIS.





# AD ASTHMA.

Pro Nobili & magnifico domino  
Fortunato Martinengo.

Brixienſi.

## Conſilium XIX.



Obilis, & Magnificus Dominus Fortunatus de Martinengo Brixienſis complexionis quippe ex natura cholericæ, ſicut potui ex eius corporis habitudine cognoſcere, forte eius aduerſa tenetur Aſthmatica diſpoſitione, crebro enim anhelitu, qualis currentibus accidit, afficitur, ut ſic patiens non inueniat excuſationem à frequenti anhelitu cum quo feſtinanter laborat, ac ſi præfocaretur. Huius namque diſpoſitionis cauſam præcedentem putamus, pituiſoſum humorem abundantem uel in toto, uel in parte corporis, aptum ad inſtrumenta ſpirationis condeſcendere, & permaximè à capite, ſicut uoluit Galenus in libro de cauſis morborum, ubi ait. Eas igitur quæ in animali ipſo conſiſtunt, ſiue affectus ſit, ſiue motiones præter naturam, cauſas præcedentes morbum nominant. Et dixit Galenus tertio aphoriſmorum, commento uigeſimo ſexto, uerbum iſtud, ſententiam noſtram confirmans. Hæc uero anguſtia ſcilicet anhelitus ſit repleto uiſcere ab his, quæ deſuper ueniunt fluxionibus. Et eodem libro, commento trigefimo primo dixit. Aſthmata uerò hoc eſt crebri anhelitus ex capite diſtillationibus ortum habent. Huius autem præcedentis cauſæ indicium ſumitur ex ipſius patientis confeſſione cum dicat ſe à morbo leuari, cum à capite profluuiſo pituiſoſæ materiæ non occupetur. Quippe eo laborante expuitionibus ipſis & mucorum excretionibus admodum releuatur, Quippe  
huius



huius causæ indicium certius assumetur, si procathartica causam cerebrum extrinsecus lædentem quis considerabit præparare, & adiuuare ad hanc præcedentem causam.

Coniuncta uerò causa huius morbi, quo tenetur is nobilis patiens, est præsentia multæ pituitæ in uis anhelitus, & maximè ipsius pulmonis, ut dixit Galenus tertio aphorismorum, commento uigesimo secundo, & trigesimo primo. Ea enim obserantur meatus pulmonis, ut libere anhelitus non exercitetur, sed impedimentum contingat inspirationi, & respirationi.

Et forte non male cogitarem, si sui morbi causam coniunctam dicerem fore uentositatem multam, comitatem essentiam pituitæ, ex qua generatur, ut dixit Galenus quinto aphorismorum septuagesimo secundo. Et indicium huius est, cum huius morbi duratio non multam trahat moram, sed in non multo tempore uel frictionibus, uel aliis, uentositatem dissoluentibus facile amoueat, & quoniã causa hæc coniuncta huius morbi, quandoq; est per essentiam in pulmone laborante, quandoque uerò per consensum ab alio membro, ut ait Galenus tertio aphorismorum, trigesimo primo. Ideo puto morbum suæ Dominationis non solum pendere ex distillationibus à capite irruentibus in pulmonem, uerum & uitio ipsius pulmonis, uel temperaturæ, uel composituræ.

Huius igitur morbi admodum periculosi, Magnificus patiens petit à nobis salutaria præsidia, quibus præseruetur, ne cadat in talem lapsum, & si ceciderit in eum, facile releuetur auxilio Dei concurrente.

Nos igitur suis honestis petitionibus succurrentes, tria percurremus instrumenta medicinalia, quibus intentum suum, assequetur.

Primum quidem instrumentum est uictus ratio, tanquã nobilius instrumentum, quo quilibet morbus curari debet, ut dixit Galenus in libro experimètorum cap.ultimo.

Cum



C O N S I L I V M

Cum igitur aer ambiens nos admodum corpus nostrū mutet, ut tertio artis medicæ dixit Galenus, & aer quippe ambiens nos est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, ut Dixit Galenus nono methodi uersus finem. Ideo ab aere exordiendo dicemus, Quòd aer conueniens D. suæ debet esse clarus, atq; subtilis, ne impuritate, & crassitie, spirandi uires perturbet, auctore Galeno in primo de tuenda sanitate, ubi ait. Idem de aere iudicandum, quem optimum in pulmonem extrahere omnibus salubre est. Optimum enim aerem censeo, qui prorsus sit purus. Sit autem aer calidus, & siccus, non multum quidem, neq; frigidus, partibus enim thoracis inimicissimum est frigidū, cum destillationes ex capite compressione quadam thoracem offendant, atque pulmonem, ueluti etiam aer nimiū calidus eandem conducit dispositionem, auctore Galeno quinto aphorismorum, commento uigesimo quarto, & uigesimo secundo. Non ab re igitur iuberem moderato calido caput suum munire, atque thoracem.

Nempe etiam si natura aer calidus, siccusque defecerit eo in loco, quo dominatio sua moram trahit, aut hybernum fuerit tempus, leuibus aromatum suffitibus utatur, dum patientis capitis grauitas non adfuerit, iuxta illud Galeni quinto aphorismorum, commento uigesimo octa uo, suffitus aromatum &c. At aromata hæc sunt cinnamomum, gariophyllum, macis, ambra, lignum aloes, cortices citrii, arantiæ, & huiusmodi. Quod si eidem pergratum fuerit clarum ignem inspicere, & permaximè hyberno tempore, sit ex lignis rorismarini, iuniperi, & lauri, uel ex ligno terebinthi, uel terebinthinam concreante, uel ex illo quod usitato uocabulo lignum laricis appellitant. Hic enim ignis proficiuus est admodum, quoniam sui natura aptus est membra thoracis, & anhelitus ad rectitudinem naturæ, conducere, ut ait Auicenna secundo canone, capite. CCCX.



**P**ANIS uerò eius triticeus sit, & non ex aliis granis, cum minus ipse flatuosus sit, quòd sanè asthmaticis maxime opitulatur, ex triticeis namque panibus peridoneus est ille, qui ex tritici simula còditus est. Sincerissimus enim panis est naturalia non grauitans, non inflans, neque deorsum aluum implens, quæ omnia asthmaticis iuamētum præstant. Sitque panis non admodū fermentatus, sui enim superfluente acetositate, membris spirandi noxius est. Nō sit quippe salitus, cum sal anxietatem parit, & præcipue in capite, ut ait Galenus secundo, de composi. med. s. l. Sitque eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaque interiora habet, & crustacea ambusta, & obarida, hic enim deterrimus panis est, & stomacho, & membris anhelitus contumax, auctore Galeno primo alimentorum capite secundo. Et sit eius panis duorum dierum ad minus, & non edatur calidus, cum à natura non sit receptibilis, & natat propter suam humiditatem uaporosam, & nocuus asthmaticis, ut dixit Auicenna septimo canone. cap. DLXXIII

## DE VINO.

**C**VM uini potus damnum D. suæ ingerat, nedum eam haustum gustare suaserim, uerum & omnis uini portionem denegarem, cum enim eius caput repleti sit inutile. Vinum autem halitu caput replet. Idcirco uinum illi nocuum erit. Puto igitur potum peridoneum D. suæ debere esse ex hydromelite coctionis hyssopi calefacientis, & exsiccantis. Quòd si ob consuetudinem, uel inordinatam illius uini appetentiam ad uini cogatur potionem, sit eius uinum album imbecillum uirium, ut caput minime percutere ualeat. Et non sit nigrum, non crassum, non robustum, & austerum, neque turbidum, & nocuum, cū hæc uina asthmaticis contumacia sint. Vinum album autem tenue, atque quadam dulcedine delectabile. D. S. con-



uenire poterit, ut dixit Galenus quarto de tuenda sanitate. Tale enim uinum pulmonis affectionibus talibus conuenit, ut dixit Galen. in libro de Euchimia, & cachochimia, sitq; satis aquæ mixtum, ut eius uirtus lædendi cerebrum tollatur.

## D E C A R N I B V S .

**C**onsulo D. patientis asthmaticam dispositionem in sui consueta eduliorum commestione, eorum parsimoniam attendere, ut carnis, adipisque, hoc sanè spirandi facultatem lacerat, ob multum enim alimentum, uentriculo concessum superius quidem lato spirationis instrumenta compressa, difficilem reddunt anhelitum. Porro hanc ob causam flatuosa quæcunque edulia noxia sunt.

Vetustorum itaque animalium carnes, cauere debet, ut bubula caro, ceruorum, capreolorum, caprarum, arietumque, & uetustorum castratorum. Suilla etiam caro secundum quamlibet administrationem patiens aufugere debet, cum humoris geniti crassitie, atque hærente uiscositate cerebrum lædit, & difficilem reddet anhelitum. quidquid dicat de ea Galenus tertio de facultatibus alimentorum capite primo. Carnes igitur ex comuni esu, ei conuenientes sunt, ut caro pulli gallinarum, fasianorum, perdicum, turturum, atque columborum, iuuenum cuniculorum, leporum, & caro hædina, parumque uitulina ei non denegabitur, quippe agninam carnem non sequatur, ob id quod humidiores alimoniam, quã par est progignit, omnia quoque carniū genera elixata magis conueniunt. Tosta enim, atque frixa admodum adstringentia sunt, facile anhelitui contumacia, salitas quoque carnes fugiat, cum sal maxime noxium sit.

## D E P I S C I B V S .

**C**um uero pisces frigidiores, naturaque humido abundantes sint, quæ uictus ratio in asthmaticis non admittitur, ut dixit Galenus septimo, de compositione medicamentorum



amentorum secundum locos, capite decimo. Non ab re à tota rei natura ei pisces non concedimus, illos maxime, qui in cænoſis, ac ſordidis aquis naſcuntur, & qui in paludibus, & lacubus capiuntur. Eorum enim caro excrementitia, & mucosa exiſtit, anhelitus facilitatem impediens. Fluvialium namque piſcium caro, non adeo ei noxia eſt, & tãto minus, quanto fluminis aqua rapida, & multiflua eſt, ut ipſius torrentis fluxu piſces admodum fatigentur. Quo fit, ut eorum caro minus excrementitia, atque mucosa red datur, omnium uerò piſcium caro optima eſt, qui in puro natant mari, & non nimis grandium, omnes igitur ſaxatiles piſces ei propter eandem rationem concedimus, dum à ſalitis piſcibus etiam D. S. cauere debet.

## DE OVIS.

**C**Um inter animantium oua ſummam nutritionis laudem gallinarum oua obtineant, ea porrò patiēti idonea eſſe concedimus, & præſertim uitellum, cum albumen adſtrictoriam teneat facultatem, aſthmaticum incommodantem, & ſint oua recentia, & non diu aſſeruata, & non ſint cocta, ſeu dura, cum ſint difficilis concoctionis, & tardi transitus. Porrò ſint tremula atque ſorbilia quæ ei concedimus oua, cum expeditius descendant, & belliffimè nutriant, ut dixit Galenus tertio, alimentorum uigeſimo primo. Sint eius oua in aqua decocta, & non in feruentibus cineribus aſſata, longè enim tardioris ſunt meatus, & craſſioris ſucci. Quæ etiam in ſartagine ad craſſitiam uſque friguntur ei deterrima ſunt. Dum namque friguntur nidorem, ac fumum edunt, noxium ſatis facultati ſpirandi. &c.

## DE LACTE, CASEO, ET BUTYRO.

**C**Um omnia lacticia, quæ ex iniecto eoagulo fiunt, acrimoniam accipiant, ideo ea omnia patienti denegamus. Lac autem ſine coagulo, & recenter mulctum ei con-



## C O N S I L I V M

cedimus, cum etiam eidem concedamus butyrum recens, cum eius facultas sit molliendi, & materiam existentem in uis pulmonis præparandi ad facilem sreatum.

### DE OLERIBVS.

**O**Lera, quæ patienti asthma conueniunt, sunt excalescentia, atque exsiccantia, qualia sunt hyssopus mentha, calamentum, fœniculus, sisimbrium, saluia, betonica, & similia. Quibus, si his iuncta sint quæ molliendi uim quandam habent, asthma peridonea erunt, quoniam facilem reddunt sreatum, sicut sunt, borago, buglossum, malua, althea, & huiusmodi. &c.

### DE FVNGIS.

**F**Vngi quouis modo condiendi parati, sunt ei nocui cū ex fungis non interficientibus fiat præfocatio, ut dixit Auicenna secundo canone.

### DE FRVCTIBVS.

**O**Mnes fructus crudi, cuiusuis generis sunt ei contumaces, cum abundant larga humiditate in spiritum flatuosum facile uertibili, qui admodum asthma nocuus est, coctos uerò fructus aliquando capere potest propter id quod calido ignis humidum, quod in spiritum flatuosum in eis uerti potest facile dissoluitur. &c.

### DE LEGVMINIBVS.

**C**VM legumina nulla gratia, nullaque iucunditate commendentur, quippe & flatibus uentres implent, auctore Galeno libro primo, de potentiis alimètorum ea proculdubio cuiuscunq; fuerint paratus ingratas escas huic patienti pronuntiabo ea etenim admodum inutilia, & facilitati spirationis contumacia sunt.

### DE EXERCITIO.

**V**T nobilitas patientis optimam sibi conducat ualitudinem præcipere oportet, ut corporis motione, atque  
exercitatione



exercitatione gubernetur. Sit autem eius leuis motio, & exercitatio non quippe uehemēs, & impetuosa, quoniam is facile motus respirationes frequentes fiunt, agitanturq; materiæ in uis pulmonis existentes, difficilem conducentes anhelitum. Igitur tempore quo sua D. paroxismo tenetur, non moueatur, neque exercitetur, nisi quodam motu frictiones fiant in extremitatibus maxime, quibus materiæ diuertentur à membris respirationis. Non exercitetur autem tempore quo liber est à paroxismo impleto uentre, ea inquam motione uaporibus plerumq; impletur caput, fluxiones desuper cadentes ad spirationis instrumenta progignentibus, admodum asthmaticis noxias, potissimum igitur eius exercitatio sit antè cibum, quoniam ea uirium corporis robur, augere solet, ut ait Galenus sexto de locis affectis, capite sexto, &c.

## DE SOMNO.

**C**Aueat D. sua à multo somno, quoniã in somno, multo natiuo calore ad intima uocato ex halitibus multa quantitas capiti ingeritur, quibus fluxiones ad cavitates thoracis, & pulmonis conducuntur. Idcirco nollem patientem multo gaudere somno, & minime quippe gaudeat diurno somno, cum ex eo causa difficultatis spirandi concreseat, porro namque cum in uigilia spiritus à corde ad pulmonem difflant, crassos, & glutinosos humores in bronchiis pulmonis ingestos, consocio calore attenuant, atque difrumpunt, ob id patientem maiori tēporis intervallo, uigilia latari uelim, Quòd si uetustam multi somni, ac diurni assuetudinem nunc possideat, sensim negligat & perdat, seruato Galeni præcepto, secundo aphorismorum. L.

## DE GAUDIO.

**G**Auadet patiens, gaudio quippe moderato, eo enim non ita ualido motu, ac feruore fertur animata facultas.



C O N S I L I V M

tas ad exteriora, ut exoluantur vires corporis, atque laxentur. Mœstitiã quoque præcauere debet. Porro ea reuocãte spiritum & calorem ad cor, quo fit, ut exteriora algeſcãt membra quod fanè aſthmati noxium cenſeri oportet. Cũ enim uafa cibus, ac potibus fuerint ſupra modum repleta, periculum eſt ne diſrumpantur, aut calor natiuus ſuffocetur, & extingatur.

Proinde iubeo patientem uictus ratione ſeipſum parcè gubernare, ut cibus potibusque, non admodum ſe repleat, cum enim affectione, qua laborat à ſuffocationis periculo, nequaquã tutus ſit. Idcirco parcè eſitet, ſorbeatque ne eorum præſentia pulſis à uentriculo ſpiritibus membris ſtranguletur, & ſubitaneo interitu necetur. Igitur eius uentres implere non admodum ſollicitus ſit, magisque moderatè eos inanire cogatur, præſertim ueſperi, ne calor in ſomno duplici pugnet cum inimico, malis humoribus ſcilicet & cibo multo.

S E C V N D V M I N S T R V M E N T V M .

**A**D eius ſanitatẽ poſſidendã eſt medicationum portio, fanè igitur mihi perſuadeo patientem binis medicationibus per anni temporis ſpatium medicari oportere, una uernali, altera uerò autumnali tempore initiãtib. Quippe huiuscemodi medicationes erunt præcauentes morbum, qui futurus eſt, atque curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, atque curandi morbum eodem ſcopo aggrediar. Cum igitur dixerit Galenus in libro introductio, ſeu medicus, omnem ex plenitudine morbum, uel inedia, uel purgatione, uel uenæ ſectione curandum eſſe. Et certè cum huius patientis affectio uenæ ſectionem longè pellit, ob id quod affectionis cauſa craſſus, atque glutinosus, & frigidus humor exiſtit. Ideo initium curationis illius à ſanguinis miſſione aſſumere, nequaquã auderem.

Qua



Qua sanguinis missione neglecta, initio ueris aduentante ipsum medicamento purgari iuberem. Primum igitur de uoret patiens quattuor horis priusquam uentriculum impleat, id quod sequitur. Floridæ cassiæ recenter eductæ. Vnc. i. specierum ieræ simp. Galeni. drach. i. glycirizæ in subtilem puluerem conductæ. drach. i. accipito, bolum facito, & dato.

Eo porrò die eo uictu regatur madidi panis in pullæ iusculo decoctionis hyssopi & enulæ, modicissimumque pullæ carnis esitet. Altero uero succedente die, sole iam primū orto, sequentem potionem ei commodam, atque septem diebus epotam, ac tepidam sorbeat. Recip. Radicum enulæ Vnc. iii. hyssopi, prassii, saluiæ, glycirizæ, ana. Vnc. i. anisorum, maratri, ana. drach. ii. gummi arabici, drachacanti, ana. drachm. i. penidiarum. Vnc. i. Quæ simul in limpida aqua ebulliant, consumpta illius medietate, suppressis his decoctionem colato, & cum melle spumato, iterum ebullito, ut complete coquatur, quam sic potato. Recip. decoctionis dictæ. Vnc. ii. oxymellitis. Vnc. i. aquæ thusilaginis. Vnc. iii. misce pro uno potu. Octauo uero die. Sane indicis concoctionis apparentibus priusquam nox è tenebris ad lucem uertatur, tali purgetur medicamento.

Recip. Mannæ electæ. Vnc. i. diasebesten lenitiui drach. vi. Agarici paululo zinziberis addito mersi in oxymellite temporis interuallo horarum decem. scropul. iiii. conditi de dactilis. drach. ii. cum decoctione communi pectorali conficiatur potus, & detur. Huius namque medicamenti opere exacto, confestim iubeo patiētem potare iusculum paratum, ut in sequentibus per decem continuos dies. Accipe gallum antiquum uolatu, atque flagello fessum, & de collatum, absque aqua pennis denudatum, quippe euisceratum, & uino albo aromatico peroptime dilutum, atque modeste salitum. Cuius uacuum aluum his paululum disruptis impleto. Accipe hyssopum, saluiam, sampsu-

cum,

+ idem folio  
202



cum, sisimbrium, enulam, zizipha, sebesten, dulcem radicē  
 abrafam, de quolibet. Vnc. med. cum his adde anisum, car-  
 tannum, sceniculum, de quolibet. p. ii. adde quoque gum-  
 mi arabici, drachacanti, ana. drach. ii. penidiarum. Vnc. iii.  
 omnia in galli aluo fuito, & in perlucida aqua quoad galli  
 carnes ab ossibus separentur coquito, & presso gallo, atq̃  
 eiecto iusculum colato, & ipsum ita potandum dato. Reci.  
 iusculi galli dicti. Vnc. vii. oxymellitis. Vnc. i. prope dilu-  
 culum exhibeto, quoad decimus finierit dies, continuato.  
 Vndecima uerò die accedente, sequenti purgatorio utere.  
 Recip. pillularum cocchiarum. seropul. ii. agarici præpara-  
 ti. drach. med. cum melle rosato pillulas quinque confi-  
 cito. &c.

Postremo eo temporis interuallo, quo totum hyemale  
 atque æstiuum tempus finietur, duobus cuiuslibet septi-  
 manæ diebus, iubere uellem, priusquam cibis uentrem im-  
 pleat, drach. vi. succedentis mixtionis accipiat. Recip. flo-  
 ris cassiæ. Vnc. i. mannæ electæ. Vnc. i. & med. pulueris dia-  
 draganti frigidi. drach. iii. penidiarum. Vnc. ii. pulueris thi-  
 mi, hyssopi, ana. drach. i. pulueris pulmonis uulpis. drach.  
 i. & med. zucchari, quant. suff. & fiat mixtura.

Vellem quoque, ut eadem purgatione autumnii tempo-  
 re aduentante uteretur, aduentante quoque uernali tem-  
 pore, iuberem patientem, ut omnibus septem diebus bis  
 caperet sequentem bolum. Recip. terebinthinæ dilutæ cū  
 aqua althææ drach. vi. pulueris dulcis radicis, drach. i. misce  
 pro una uice.

Quo uerò ad tertium instrumentum, quod est manuum  
 operatio, certe nullo errore ductus sententiam Galeni, &  
 principis sequēs iuberem, quòd sub genu in utroque cru-  
 re in parte syluestri per quattuor digitos inter duos mu-  
 sculos cōduceretur cauterium & teneret ipsum apertum,  
 eo enim foramine humores à toto corpore conducentur,  
 & spirandi facultas exonerabitur.



Recordor etiam Nobilitatem patientis, considerare, quanti præsidii ei erunt administrationes thermarum naturalium mineræ sulphuræ, & aluminosæ, ut ex Galeno septimo, de compositione medicamentorum secundum locos, possimus colligere. Futuro igitur uere ad nos accedente, iuberem D. suam submitti balneis apponensibus, quæ in comitatu sunt Patauino, & in potu talia sunt ei administranda, & in Ducia aquæ cadentis ab alto supra commissuram coronalem.

Hæc dicta sunt à me

Benedicto Victorio Faentino Anno

Christi M D XXXIX.

Die XV. Iulii.



### AD PHTHISIM.

Pro quodam Monacho

Consilium XX.



**D**octor Excellens, Literas tuas mihi gratissimas, grata, & hylari fronte suscepi, quibus horrendum casum cuiusdam Reuerendi Monachi, cuius affines, amicitia, ac beneuolentia mihi plurimum iuncti sunt facile percepi. Et ut illis, & tibi (ut debeo) satisfaciam, quantum facultates ingenii mei promittunt, tantum pro sanitate adipiscenda huius nobilis ægrotantis, si Deo optimo placuerit pronuntiabo.

GGG

Offertur



Offertur igitur mihi literis tuis, æger, qui tabe & phtisi tenetur ætatis suæ annorum . xviii. temperaturæ quippe naturalis calidæ, & humidæ, quas affectiones præcessit sanguinis scretus à pulmone ob uenæ illius rosionem distillatione continue non immuni aliquando à uitio falsedinis, & acuminis irruente à capite ad pulmonem ipsum, & ad hunc quidem sanguinis scretum, sequutus est puris scretus cum tussi, & cum his omnibus duplici genere febris tenetur, affixa uidelicet, quam ethnicam dicunt, & putrida ortum habente à putredine humorum.

In his quippe omnibus, ut ex literis tuis facile coniectari possum, ueni de multis interrogandus. &c.

Primo si æger sic affectus à nobis deplorandus sit, & prognosticis relinquendus.

Secundo si non sit æger omnino desperandus, nunquid salutare remedium sit aliquam eius particulam urere.

Tertio uisione partis peracta, si lactis exhibitio, & cuius sit ei conueniens, & in omnibus suis affectionibus, idoneum sit præsidium & salutare.

Quarto si quispiam ratione edoctus, nulli horum consenserit, quæ præsidia præsentanea erunt ei si deo libuerit idonea, ut nobilis æger ad suam redeat ualetudinem.

Horum primo satisfaciam sic, ait Hippocrates septimo aphorismorum . xv. A sanguinis sputo puris sputum, & ad hoc, ut ait Galenus quinto aphorismorum, commento nono. Tabes maxime ætatibus à decimo octauo anno ad trigessimum quintum, & dixit Galenus tertio aphorismorum, commento . xxx. Moriuntur autem & ex tabe hac ætate, & ex iuuenibus quicumque ex sanguinis sputo in tabem incidunt ex ea moriuntur.

Secundo inquit Galenus quinto methodi uersus finem Ex his uero, qui ulcus in pulmone habent, ii demum insanabiles mihi uidentur, qui ex succi erosione id possident, quorum aliqui ceu falsilaginem sputum suum sentire se aiunt.

Tertio



Tertio dixit Galenus quinto methodi, at ubi moriendum aegro prorsus est, si phthisi semel exceptus est, alienissimum a ratione est, a minoribus inchoasse.

Quarto dicam ego de Galeno quod & ipse dixit de Hippocrate secundo de diebus decretoriis, capite decimo tertio, ubi ait, quod ea, quæ in aphorismis ab Hippocrate dicta sunt, non sunt necessariae veritatis, sed eorum, quæ frequentius eueniunt, & sic est de consuetudine sua sic loqui.

Quinto dico quod hic nobilis æger non est in desperatione relinquendus, quoniam beneficio artis medicatiuæ, opere dei, & naturæ adiuuante, ipsum posse sanari non ambigo, cum crediderim, licet de hoc nihil certus sim per literas tuas, morbum non esse adeo firmatum, ut æger omnino deploratus sit. Et ego etiam iudicatos sanavi, quos etiã curare docuit nos Galenus quinto methodi ubi ait aduersus eristratum. Minime igitur sicut medicorum nonnulli censent a paruis incipiendum auxiliis est, nec sicut illi dicunt sentiendum, ista scilicet prius esse tentanda, mox si nihil profecerint aggredienda maiora, nam in morbis, in quibus periculum non impendet, uera ea opinio est, at ubi moriendum prorsus est, si phthisi semel exceptus est, alienissimum a ratione est a minoribus inchoasse. Et eandem sententiam habuit Galenus quinto methodi, capite decimo secundo, translationis antiquæ. Et Auicenna decima tertii propter confidentiam, quam in zuccharo rosaceo tenet.

Ad quæsitum secundum, sic dico, cum æger non sit penitus desperandus, ubi uirtus etiam constaret, & fortis esset febris, non est commissuræ coronali uisio condonanda iuxta illud Auicennæ prima quarti, & caue, ne membro principali fortia applices medicamenta, scilicet cum corpus magna febre fuerit detentum. Vbi uero pus in pectore, & partibus pulmonis extiterit, & etiam febre corripere tur æger, præcedente totius mundificatione, urerem scapu



las obtemperando præcepto Hippocratis libro secundo, de passionibus, & uenirem cum albucafi dicente. Vtitionem illam à capite distillationem deriuare, & simul materiam purulentam in pectore iacentem deriuabit, & ipsam euacuabit.

Ad tertium quæsitum. Dico primo, si febrî ethicæ, iungitur putrida, si ualde fortis fuerit, nequaquam iuberem lac exhiberi propter aphorismum. LXIII. quinti aphorismorum, & rationem quam innuit galenus in commento.

Dico secundo, si ethicæ non iungitur febris multum fortis, uel ubi iungitur ei febris diuturna, & parua, sic febrienti potum lactis admitterem, iuxta illud Hippocratis quinto aphorismorum. LXIII. Conuenit uerò & tabidis dare, qui non ualde multum febricitant, & in febribus longis, & paruis, si nullum ex suprædictis signis adfuerit, & tu uide aphorismum. &c.

Dico tertio, si etiam ethicæ manifesta febris iungeretur illi non denegarem lac, alterarem tamen lac alteratione febrî manifestæ conueniente, ueluti hali in de regali dispositione sic.

Recip. Aquæ portulacæ, aquæ seminum communium frigidorum maiorum, ana. Vnc. viii. lactis asinini, uel caprini. Vnc. vi. misce, & bulliant ad consumptionem aquæ, & exhibeatur lac in potu tepidum ieiuno stomacho, & quiescat, & non superdormiat, neque exercitetur.

Dico quarto. Quòd lactis potus conuenit in ethica & phthisi, quæ est cum ulcere pulmonis, & totius corporis consumptione, hanc sententiam habes, à Galeno quinto, methodi, decimo secundo. Et ab Auicenna secundo canone, capite. CCCXLII. & ab Hippocrate libro secundo de passionibus.

Dico quinto, quod Nobilius lac in ulceribus pulmonis post humanum lac, est lac asinæ hoc dixit Galenus quinto, methodi, & tertio eiusdem, & Auicenna decima tertii, & secundo



secundo canone, & Hippocrates ut supra.

Ad quartum quæsitum. Dico, quòd hæc sunt remedia à me experta, & admodum utilia, &c.

In primis facta totius corporis mundificatione, confu-  
lo, ut bis in septimana in sputo puris sine sanguine in dilu-  
culo capiat sequentem potum.

Recip. Aquæ lactis caprini. Vnci. viii. succi absinthii.  
Vnc. i. zucarum. drach. ii. misce. pro una uice.

Hoc experimentum, collegi ex Galeno quarto simpli-  
cium pharmacorum distinctione quarta, capite secundo,  
ubi agit de sapore amaro medicinarum.

Item confulo, ut omni mane capiat. drach. ii. sequentis  
pulueris cum syrupo mirthino.

Recip. papaueris albi. drach. vi. gummi arabici, amidi,  
dragaganti, ana. drach. ii. seminum portulacæ, sem. mal-  
uæ, ana. drach. iii. quattuor seminum frigidorum maiorū  
omnium, mundatorum ana. Vnc. med. spodii, succi glyci-  
rizæ, ana. drach. ii. penidiarum ad pondus omnium torre-  
fiant torrefiendæ, & ex his fiat puluis subtilis.

Item confulo, ut cum certa quantitate huius pulueris  
addatur conseruæ testudinis. Vnc. iiii. conseruæ capillorum  
ueneris. Vnc. iii. & cum zucarum quantum sufficit fiat elle-  
ctuarium de quo pluries die, noctuque capiat ad quantita-  
tem nucis.

**Hæc currenti calamo.**

**FINIS.**



AD PRAVAM STOMACHI AFFECTIONEM

Cum ipsius stomachi, & coli dolore,  
necnon alui suppressione  
coniunctam

Pro nobili quodam germano

Consilium XXI.



Nobilis quidam Germanus complexionis à Dominio biliosæ, non multum tamen recedentis à subdominio complexionis sanguineæ ut per signa mihi relata exactissime possum diiudicare. Est enim eius corporis habitudo non pinguis, sed musculosa, & magnis musculis contexta per hoc quòd non pinguis, & multum carnosæ non à dominio sanguinea dicitur, per hoc uerò quòd magnis musculis uelata, comitantiam sanguinis non fugit, per hoc autem quòd pilosus est, & pilis nigris, & facilis ad iram, habensque uocem fortem, & aliquantulum crassam, & color in facie ad nigredinem uergit à dominio, concludam ipsum etiam complexionis biliosæ. Est epatis calidi signum, est totius corporis complexio cholericæ, in quam declinat epas, & si per communitatem ab epate debuisset esse cerebri calidi, & sicci, propter tamen superuenientem complexionem factum est cerebrum eius calidum, & humidum, stomachus eius frigidus est, & debilis digestiua, tum per essentiam, tum per communitatem à cerebro destillante ad ipsum stomachum, Estque debiliū intestinorum multiplicantium mucosæ materias, & uentositates multas, conqueritur hic Nobilis de forti dolore stomachi tanquam de prima dispositiōe præternaturali, à qua sepius molestat, cui coniungitur debilitas



litas uirtutis digestiuae eiusdem, tum propter doloré pro-  
sternentem uirtutem, & attrahentem multitudinem su-  
perfluitatum ad stomachum, quibus grauatur membrum  
& obtunditur eius uirtus, tum etiam propter continuum  
descensum defluxus ad stomachum, quo relaxatur mem-  
brum, & grauatur, & uirtus eius in opere suo debilitatur,  
& sic causam doloris stomachi in eo puto ultra malitiam  
complexionis, quam scilicet ex dolore, & ex multitudine  
superfluitatum coaceruatarum in eo esse descensum reu-  
matis ad ipsum à capite. Cum enim materia catarrhalis  
ad stomachum deuenit ipsa non idonea pro operibus na-  
turæ derelinquatur ab opere naturæ, & debili calore sto-  
machi conuertitur in flatum extendentem tunicas stoma-  
chi, & dolores causantem. Conqueritur secundo, de colica,  
cui iungitur dolor renalis calculosus, & acerbus, coli dolo-  
ris causa est præsentia flatus in intestino colo demandati  
à stomacho, & geniti in intestinis etiam ex phlegmate, de-  
bilitate ipsorum intestinorum, & diminutione sui caloris:  
Doloris uero Renalis causa est præsentia phlegmatis, in re-  
nibus, & uentositatis, quorum utrumque multiplicatur à  
stomacho, & intestinis debilibus ad ipsos renes. Quòd si la-  
pilli, uel arenulæ in eo appareant, hoc fiet causa caliditatis  
renum ab epate subtile phlegmatis in renibus resoluen-  
tium, & crassum terrestre in lapidem coagulantium.

Conqueritur tertio, de alui astrictione, ut uix in tribus  
diebus possit egerere, & huius causam puto uel esse multi-  
tudinem flatuum crassorum obstructiuum meatus egestio-  
nis, uel aliquam obstructionem uiae transitus bilis ad inte-  
stina non potentis irritare uirtutem expulsiuam intestino-  
rum ad expellendum feces, nisi difficulter uel esse nimiam  
epatis, & renum caliditatem mire exsiccantem feces, red-  
dentem ipsas inobedientes cursui.

Huic igitur Nobili Domino succurrendum est in om-  
nibus dispositionibus, à quibus præternaturaliter mole-  
statur



CONSILIUM

istatur, & primo succurratur dolori stomachi cum debilitate uirtutis digestiuae eius, & super hoc essent duae intentiones, prima circa debitum regimen in sex rebus non naturalibus, secunda circa exhibitionem medicinarum.

Primo igitur, & pro regula obseruetur, quod omnia, quae illi offerenda sunt caliditatem naturalem totius, & stomachi roborant, & ab omnibus abstinendum est, quae ipsam minuunt, debilitent, & corrumpant.

Incirco de aere. Eligendus est aer ad calidum declinans non multum, sed ad moderatum, quoniam aer multae caliditatis ad dissolutionem faciet, quia contraria caliditate corrumpit caliditatem naturalem, obseruetque ne aere frigido utatur nam est illi ualde noxius.

De somno attendat magis somno, quam uigilia, & dico quod somnus super cibum proportionate post horam factus confert, quoniam multum roboratur calor naturalis in processu, si debilis fuerit, & caueat à somno super inanitionem, quoniam tunc humidum innatum dissoluit, & uirtutem debilitat, & dormiat capite decenter eleuato, propter catarrhum. Vitetur superflua repletio, quoniam naturalem caliditatem suffocat, & extinguit, unde paucitas cibi cum digeritur debilem uirtutem digestiuam corroborat.

De quiete, dico quod quies post cibum sumptum est conueniens, & motus inconueniens. Gaudeat, & non tristetur.

Sed ad cibum & potum condescendo. Euitet omnia uiscosa, & pinguia multum, & omnia, quae naturaliter mouent nauseam, ut intestina, & caudae animalium, & caro anferis, & anatum, non sint etiam cibaria insipida, sed paululum salita, & odorifera, quoniam uirtutem naturalem stomachi roborant. Cuius roboratio est radix suae curae. Vitentur quoque omnia actualiter, & potentialiter frigida, quia propter eorum contrarietatem ad calidum naturale difficulter



culter digeruntur, & sic flatus generant, & dolorem conseruant. Et propter hoc vitentur fructus, & maximè acetosi, & succi eorum, & aranciarum & limonum, & omphacium, & acetum, & uina debilia, & aquosa, & reliqui fructus frigidi, ut cerasa pruna &c. & pisces omnis generis, cibaria de pasta, & carnes lacustres, sed generaliter sit eius cibus modicæ quantitatis, & facilis digestionis ex parte manifeste qualitatis, & modi substantiæ, & conuenientiæ occultæ, ita tamen, quod semper declinet ad calidum, & ad temperatum humidum, & propter hoc carnes auium montanarum sunt ei cõuenientiores, specialiter ergo oua sorbilia sunt ei conuenientia, quoniam multi nutrimenti, facilis digestionis, & modicarum superfluitatum, & possunt eius carnes, & oua condiri cum modico cinnamomi. Vinum sit uinosum non multum acutum, clarum, & album, uel nigrum non multæ nigredinis. & cet.

Ad Medicinalia iam me conuerto. Et primo pro regula obseruet, quod in casu suo non utatur medicinis solutiuis laboriose euacuantibus, & à reliquis membris, & à stomacho, & intestinis. Secundo obseruet pro regula, quod singulo die aluum exoneret. uel natura, uel arte, ut cum clysteri lenitiuo, uel cum isto medicamine sequenti, ut Recip. folliculorum senæ, passularum enucleatarum, ana manipulum medium, bulliant in iure pullæ usque ad consumptionem tertiæ partis. Deinde colentur, & colaturæ adde zucchari uiolati uel Iulep uiolati, unciam mediam, & exhibeatur per duas horas ante prandium. Consulo deinceps, ut bis in anno digeratur materia, cum isto syrupo.

&c.

Recip. syrapi de duabus radicibus. Vnc. s. mellis ros. col. Vnc. med. aquæ betonicæ, Adianti, cicorii, ana unciam unam, misce, & utatur eo quinque diebus sexto autem

HHH die



C O N S I L I V M

die in aurora utatur sequēti pharmaco. Recip. Diasebestē lenitiui. Diacatholiconis. ana. Vnc. med. Reubarbari electi drach. i. spicæ, grana. vi. Ellectuarii de dactilis, ellectuarii indi ana, scropul. ii. & med. misce, & fiat potus, cum decoctione communi florum, & fructuum, facta purgatione in hora doloris, si possibile est in hora doloris prouocetur uomitus, quoniam multum confert deinde quiescat per horam, & postea roboretur stomachus cum hac fomentatione Recip. olei de lilio, olei de spica. ana. Vnc. iii. olei laurini, olei aneti, olei chamæmeli ana. Vnc. ii. misce, & infundatur filtrum, & stomacho calidum superponatur, quòd si per hoc dolor non cesset, fiat infra scriptum remedium. Recip. panem extractum de furno magnum diuisum per medium, & mel extendatur super alteram partem, & superaspergatur puluis ex cymino, aneto, galanga, & mastice, & superponatur stomacho, Quòd si hæc non conferant fiat sequens fomentatio cum spongia. Recip. florum chamæmeli, meliloti absinthii, mentæ, pulegii, calamenti, ana Manipulum unum, gariophyllorum, macis, nucis myristicæ, ligni aloes, ana drachmam unam, galangæ, zedoariæ, cimini, ana drachmas duas, misce, & contundantur crasso modo pro fomentatione quæ fiat in aqua & uino. Deinde ungetur stomachus sequenti unctio. Recip. olei de spica, Absinthii, masticis, ana Vnc. mediam, nucis myristicæ, ligni aloes, ana drachmam unam, cæræ quantum sufficit fiat unguentum. Utatur quoque patiens quolibet mense per sex dies confectione infra scripta per duas horas ante prandium. Recip. specierum Diagalangæ, Diarhodon abbatis pulueris diadragati frigidi, ana drachmam unam & mediam, mithridati boni, drachmam mediam, zucchari optimi quantum sufficit fiat confectio in rotulis. Dosis est drachmæ duæ.

Utatur quoque in præseruatione à coliddore, & stomachi infra scriptis piillulis bis in mense. Recip. serapini, colocynthidos



colocynthidos, diagridii, falis gemmæ, ana drachmam in-  
diam, galangæ, macis, croci, ana scropulum unum, aloes  
loti, drachmas duas, in pollinem redigantur omnia sub-  
tiliter, & cum succo menthæ fiat pasta pillularum, dosis  
est, scropul.ii.

Alia autem illius malæ dispositiones, cum ortum  
habeant à prædicta tanquàm à radice, & cau-  
sa, Ideo regimen præcedentis dispositio-  
nis est cura sequentium. Quare

de his sufficiat

**Benedictus Victorius  
Fauentinus  
Dixit.**





AD AFFECTIONS QVASDAM,  
Præsertim ad debilem uentriculi concoctricem  
facultatem,

Pro nobili & egregio comite  
Fabritio à Bagno.

Consilium XXII.



Nobilis & Magnificus Comes Fabritius, ex Nobili, & Magnifica domo Comitum de bagno, temperaturæ quippe naturalis biliofa, cum insigni sanguinis admixtione, epatis calidi, & renum calidorum, non minorisque est caliditatis eius cor, est & certe cerebri abundantioris humiditatis, & stomachi ualde imbecillis. Patitur sorte sua mala affectionem stomachi præternaturam, idest debilitatem uirtutis concoctricis, ob quam sequitur ipsius stomachi labor, & fatigatio in concoquendo, propter quod sentit illius lassitudinem, & quandoque dolorem, pendentem nedum à præsentia materiæ in stomacho, uerum & à spiritu flatuoso per diminutam illius concoctionem progenito, ad quas affectiones seruandas, atque augmentandas occurrit defluxio fere continua humiditatis aquosæ à cerebro ad stomachum, quæ in eo concreta, & inobediens cõcoctioni, cruditatibus replet stomachum, At ob debilitatem natiui caloris illius, continue in eo adgeneratur flatus, qui stomachi pelliculas tendens, dolorem procreat, atque lassitudinem. Corripitur igitur Nobilitas sua dolore, & lassitudine uentriculi cum stillicidio humiditatis aquosæ à cerebro ad uentriculum. His igitur mouetur nobilitas sua, non tantum nostri sufficientia freta, quantum amicitia, & beneuolentia ad inquirendum à nobis



nobis salutaria præsidia, quibus ad optatam ualitudinem diuino fauore facile perducatur, Nos autem præceptis illius amice obtemperantes. Huic suæ petitioni satisfacere curabimus, ad has igitur affectiones propellendas, triplici utar uia, prima erit rationis uictus, secunda medicinarum exhibitio, tertia manuum actio.

## AER.

**P**ro prima uia sit aer illius, uergens in calorem, & sic cum, non tamen multum à temperato recedentem, ne aliquando maiorem à capite fluxionem admoueret, indiget enim illius cerebrum plus humidum caliditate resolvente, & non attrahente, quoniam sic non grauabitur caput, neque materia defluet ad stomachum, lassitudinem & dolorem illius excitans.

Panis eius sit de flore farinae non nimium coctus, ita, ut crustacea, ambusta, aridaque sint interioraque incocta, hic enim deterrimus est panis, & nō sit antiquus, sed duorum dierum ad plus.

Vinum eius sit album, tenue, non acidum, neque admodum potens, sed mediocris saporis, non dulce, sed satis gustui delectabile, non nigrum multæ nigredinis, sed mediocris coloris, uti galli claretum uocant, nos autem ceresolum dicimus, & pauca aqua apponatur, uel nihil, si catarrhus non opponitur, & non bibat si poterit nisi apud cibum.

Carnes sint paucae quantitatis, & boni nutrimenti, Auium, uidelicet, pullorum gallinarum, capporum, fasianorum, perdicum, pullorum columborum, Turturum, Turdorum, & omnium Auium degentium in arboribus præter sturnos, & omnium Auicularum degentium in pratis, & nemoribus. Quadrupedum uero carnes conueniunt ei, uti uituli, annularis.



C O N S I L I V M

lis castrati, cuniculi iuuenis, suilla uerò caro, ac bubula sunt ei malæ, leporina satis conuenit, agnina minime, & caprcoli caro, ac cerui non est ei multum contumax. Et omnes hæc carnes plus ei conueniunt elixæ, quàm tostæ. Tostæ uerò sine pinguedine suilla, salitæ carnes ei sunt contrariæ.

Pisces autem à tota sui natura sunt ei contumaces. Sui enim larga humiditate, & capiti, & stomacho sunt nocui, pisces uerò de mari parui, & non nimis grandes, minus mali sunt, & ii, qui in torrente capiuntur, & præsertim saxatiles. Qui uero in aquis stantibus, & in paludibus uescuntur, admodum nocui sunt. Pisces omnes, saliti non conueniunt ei, quoniam sal capiti noxium est, Si uerò aliquando liceat pisces comedere, sint elixati, uel in ueru cocti, uel in craticulis, conditique sint, quoquo modo coquantur cum saluia, roremarino, uel hyssopo.

Oua gallinarum ei conueniunt, si recentia fuerint, & nò diu asseruata, & sint sorbilia, uel tremula, & non admodum cocta, & dura, & uitellus magis ei conuenit, minus uerò albumen, sint quoque eius oua elixa, & non in sartagine frixa, cum omnia, quæ friguntur humanæ naturæ contumacia sint.

Butyrum, & lacticia sunt ei nocua, replent enim caput, & uillos stomachi laxant, & flatum progignunt, doloremque utrobique excitant.

Fructus omnes, quoniam abundantia humiditate sunt præditi ei non profunt, flatuosi enim sunt in stomacho dolores excitantes.

Olera, quæ frigida sunt, & humida, uti lactuca, beta, spinachia, malua, & talia, sunt ei inconuenientia. Quæ autem calida sunt, & sicca bene ei conueniunt, qualia sunt, maiorana, saluia, betonica, rosmarinus, hyssopus, petroselinum, fœniculus, & similia.

Terræ tubera nocent ei, & præsertim fungi, sub quibus ueniunt



ueniunt cucurbitæ, mellopepones, anguriæ, cucumeres, rapæ, radices, & huiusmodi.

Legumina omnia ei nocent, & quæcunque alia, quæ spiritu flatuoso sunt prædita. Vbi uerò iusculum cicerum rubeorum desideret, paretur hyssopo, saluia, roremarino, & cinnamomo.

Recordetur autem D. sua lautius prandere, parcius uerò cænare, neque in una mensa uariis ciborum speciebus utatur, laborabit enim uirtus stomachi, in digestionem eorum, quæ eterogenea, & non unius sunt naturæ. Et ob hanc indigestionem replebitur stomachus cruditatibus, & ob eandem causam non utatur carnibus auium, quæ in aquis degunt, ut anserum, anatum, & huiusmodi, earum enim carnes indigestibiles sunt, uentriculum satis lædentes.

Caucat à superfluo exercitio, quoniam resoluit natuum calorem membrorum naturalium, præsertim uentriculi, & ob eandem causam caueat à nimio coitu, uti ab inimico mortifero.

Plus Dominatio sua uigilet, quàm dormiat, quoniam superfluus somnus præsertim meridianus, multiplicat indigestiones, quæ uentriculum grauantes lassitudinem, & dolorem conducunt.

Gaudeat Nobilitas sua, & lætetur, uiuatque cum gaudētibus, & lætis, lætitia enim uiuificat calorem, & spiritum, & tunc bona perficitur digestio, præsertim in uentriculo.

Fugiat repletionem, & crapulam & multi uini potionem, ab his enim opprimitur uirtus naturalis stomachi, crapulam illam, & multum potum non ualens corrigere. Quo fit, ut nedum in stomacho, uerum & in omnibus corporis membris lassitudo, & dolores excitentur.

Secundam uiam aggrediar, seruata ratione uictus iam dicta, consulo, ut bis in anno, uere uidelicet, & autumno purgationem capiat, accedente igitur ueris tempore primo ante materiæ digestionem prope diluculum capiat sequentem



sequentem bolum.

Recip. floris cassiæ nouiter tractæ, drach. vii. Specierum ieræ simpl. Galeni, drach. i. & med. misce, & fiat bolus.

Vbi uero cassiam abhorreret, capiat sequens pillulas. Recip. pillularum stomachalium comunium, pillularum de iera nicolai, ana. drachm. med. misce cum melle rosato fiant pillulæ numero quinque.

Sequenti uero die omni mane in aurora bibat sequentem syrupum per septem dies continuos.

Recip. syrupi de betonica, syrupi de endiua mellis rosati col. ana. Vnc. med. aquarum betonice, lupulorum cicorii, ana. Vnc. i. misce.

Octaua uero die per tres horas ante lucem, capiat sequentem potionem, & dormiat donec dies uenerit. Recip. Diacatholiconis, drach. vi. Reubarbari electi infusi secundum artem, drach. i. & med. electuarii de dactylis, drach. i. & mediam. Dissoluantur omnia cum decoctione comuni florum, & fructuum, & fiat potus.

Vbi uero pillulæ essent illi magis gratæ, loco medicinae capiat eadem hora sequentes pillulas.

Recip. pillularum aggregatiuarum. scropul. ii. pillularum aurearum nicolai. scropul. i. misce cum syrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Peracta uero hac purgatione, consulo, ut per totum tempus ætatis, omni mense per septem dies continuos tribus horis prius, quam capiat prandium comedat bolum quantitatis nucis sequentis mixturæ.

Recip. conferuæ corticum citrii. Vnc. ii. diadraganti frigidi. Vnc. i. Specierum aromatici rosati drach. i. & mediam misce cum syrupo de menta fiat electuarium. Et omnibus octo diebus mane in diluculo per totum tempus ætatis capiat tres sequentes pillulas, quæ sunt sine custodia.

Recip. pillularum assaiaret, pillularum masticinarum conciliatoris. ana scropulum unum, fiant pillulæ numero,

ro, tres



ro tres, cum syrupo uiolato.

Consulo quoque, ut in mense maii a principio per decem dies continuos, mane loco syrupi bibat sequens ius pullæ sine sale.

Recip. iuris pullæ. Vnc. viii. summitatum absinthii uiridis. drach. i. & med. bulliat usque ad consumptionem tertiæ partis, & calidum potui detur.

Vbi uerò Dominatio sua non turbaretur unguentis, laudarem, ut aliquando inungeret stomachum sequenti unguento calido.

Recip. olei absinthii, olei spicæ, olei menthæ, olei mastice. ana. Vnc. med. nucis myrticæ, ligni aloes, gariophyllorum, rosarum rub. corallorum rub. ana. scro. i. puluerizetur puluerizanda, & cum modico ceræ fiat unguetum molle.

Aduentante uero autumnii tempore, consulo, ut iterum purgetur, & primo per horam ante lucem capiat sequentes pillulas superdormiendo.

Recip. pillularum aggregatiuarum. scrop. ii. fiant pillulæ, numero tres, cum melle rosato.

Sequente uerò die prope diluculum bibat sequentem syrupum calidum per septem dies.

Recip. syrupi de betonica, syrupi de endiuiâ, syrupi de absinthio, mellis rosati colati ana. Vnc. med. aquarum lupulorum, menthæ, cicorii, ana. Vnc. i. misce.

Octaua uerò die capiat sequentes pillulas per tres horas ante diem.

Recip. pillularum de iera cum agarico, pillularum stomachalium. ana. drach. med. misce cum syrupo de mentha fiant pillulæ numero quinque.

Deinceps per totum tempus hyemis ter in septimana, mane per tres horas ante lucem, capiat formulam unam sequentis confectiois.

Recip. specierum aromatici rosati, specierum diagalangæ, specierum pliris arcoticon, specierum tria sandalorum, puluerum,

III diadraganti



diadraganti frigidi, ana. drach. med. zucarari albissimi dis-  
soluti in aqua menthæ quantum sufficit, & fiat confectio  
in rotulis duarum drachmarum pro qualibet, & statim su-  
perbibat haustum uini albi odoriferi.

Laudo quoque, ut ter, uel quater in mense mane stoma-  
cho ieiuno bibat sequentem potum. Recip. uini maluatici.  
Vnc. ii. aquæ endiuia. Vnc. i. & mediam, aquæ uitæ optimæ  
drach. ii. misce pro una uice.

Consulo quoque, ut aliquando Dominatio sua ieiuno  
stomacho bibat sequentem potum.

Recip. aceti optimi squilitici. drach. med. uini maluatici  
drach. ii. misce, & bibe, & exerciteris moderate ambulando.

Laudo quoque ut per totam hyemem aliquando po-  
tet decoctum absinthii iam dicti, & prædicto utatur un-  
guento.

Vbi uerò hæc nō contulerint, consulo Dominationē suā  
debere bibere in uere sequentis anni aquam Balneorum,  
uel de poreta in Comitatu Bononiæ, uel de Abbano in Co-  
mitatu Patauino, seruatis seruandis in potu taliū aquarū.

Aduertat tamen Dominatio sua, quod priusquam se  
exposuerit prædictis operationibus, si indicia sanguinis,  
uel plenitudinis in toto apparuerint, tūc mittatur sanguis  
ex dextra basilica, cuius sanguinis extrahendi quātitatē re-  
linquo peritis Medicis tūc præsentibus, Aliter uerò nequa  
quā sanguinis missionē quis assequatur. Hæc sint pro ter-  
tia medēdi uia in Dominatione sua, cuius, & aliarū præce-  
dētium operationem deus piissimus foueat, feliciterque.

Ego Benedictus Victorius Faentinus Philo-  
sophus, & Medicus, Anno Domini

M. D. XLIX. Die XXII.

Martii.

Ita consului.

FINIS.



AD MORBVM REGIVM ET HYDROPEM,

Pro Nobili & Magnifico Domino

Georgio Trembeck

Germano,

Consilium XXIII.



Nobilis & Magnificus Dominus Georgius Trembeck Germanus Eques Auratus, secundum quod eius totius corporis habitu do edocet complexionis cholericæ naturaliter, Quippe & membrorum naturalium calidæ temperaturæ, & cerebri plus humidi, quàm calidi ex inordinato regimine in sex rebus non naturalibus, præsertim cibi & potus, prius cecidit in morbum regium, quem Ictericam solent appellare. Cuius causa fuit obstructio meatuum epatis, quibus solitus est biliosus humor ab epate expurgari, absque præsentia apostematis epatis, nullo sanè tumore apparente, Quo fit, ut dicamus cum Galeno sexto aphorismorum, commento quadagesimo secundo. Cum morbus alicui Regius acciderit, si tumor in epate apparuerit, proculdubio illius causa est epatis apostema, ubi uerò nullus apparuerit tumor, erit Icterus ab obstructione meatuum epatis. Quo Ictero perseverante, præcipitata est cholera ad intestina pungens, atque mordicans, & corrodens ea, Quo fit, ut eius nobilitas in fluxum dysintericum cum insigni alui dolore ceciderit, crucieturque, ut nedum rosione uerum & dolore aluus tota debilitetur, multiplicans spiritum flatuosum dorso, & renibus comunicatum, quo utroque extenso, utrobique dolore cruciatur dorsi, uidelicet, renumque, nempe ab his doloribus naturalia membra facta imbecillia præsertim

III ii uentriculus,



uentriculus, eius Nobilitas fluxu chyloso afficitur.

Nempe cum multiplicata cholera in epate natiuam illius caliditatem dilaniet, non ab re est, ut frequens ille icterus conduxerit nobilitatem suam ad imbecillitatem concoctricis epatis, & eius facultatis sanguificatiuæ ad hoc iuuantem imbecillitate concoctionis uentriculi, & dolores alui, & renum, concausæ sunt debilitatis facultatis naturalis epatis, ob quam rem, nobilitas sua in præsentiarum in hydropem cõciderit, uidelicet a causam uitio facultatis sanguificatiuæ epatis, & tympanitẽ uitio concoctionis uentriculi.

Huius quippè affectionis præter naturam hydropicæ in nobili Domino causæ sunt, primo procathartica inordinatum regimen in cibo, & potu adgenerantibus multitudinem cholerae corrumpentis natiuam caliditatem epatis. Secunda præcedens, & fuerunt prænominati morbi. Tertia coniuncta, & est aquositas, & uentositas intra mirac & siphac contentæ.

Huius inquã præsentanei morbi Dominatio sua salutaria à nobis inquirat remedia, nos quippe Deo fauente & honestæ petitioni obtemperantes, eum sic curabimus morbum.

Dum non lateat nos curam hanc triplici debere fieri instrumento, uidelicet, ratione uictus medicinarum exhibitione, & manuum operatione.

Primo igitur instrumento regatur patiens parcitate cibi, & potus, edatque bis in die tantum, mane uidelicet omnibus eduliis computatis libram unam subtilẽ cibi edat, & si minus, ei peridoneum erit. Potus autem trium sit unciam uesperis uero cibariis uncias sex, uel paucioribus sit, contentus non bibat tunc si poterit, solum abluat sibi os, ubi uero biberit, duas uini uncias non excedat. Priuetur omnibus iuribus, & omnino omnibus ferculis. Tostæ sint in uerum omnes eius carnes, priusque parumper elixatæ, nullæ autem in sartagine frixæ, caueat ab omnibus piscibus, & omnibus animalibus aquas habitantibus, omnia

legumina



legumina sunt ei nocua, & quæcunque edulia spiritum flatuosum progignentia, sicut castanæ, & omnes fructus recentes, & quæcunque sua humiditate, cum frigiditate corpus suum humectare ualent, nocua sunt ei, ut mellopepones, cucurbitæ, anguriæ, cucumeres, & huiusmodi, & quæ crassos, crudos, & glutinosos gignunt succos, sicut omnia condimenta de pasta azima, & caseus cuiusuis generis, salitus, uel non salitus. Caueat quoque à granis obstructiuis, ut à milio, panico, riso, & farro, & frumento, & hordeo. Caueat ab omnibus eduliis, ex oleribus, in quibus humiditas uiget, ut lactuca, spinachia, beta, brassica, & huiusmodi.

Vinum eius non sit nigrum, crassum, non dulce, non acre, non nouum, sed album sit, uel mediocris coloris, & saporis. Et omnino caueat ab aqua dulci, & eius potus sit parcissimus. Caueat quoque nobilitas sua à potu cuiuscunque liquoris cum cubare uoluerit.

Panis eius sit de flore farinæ non multum fermentatus, neque admodum salitus, & incoctus.

Aer eius sit calidus, & siccus, Quòd si natura reperiri nõ poterit, arte conficiatur, altereturue cum suffitibus aromatum, & igne lignorum iuniperi, lauri, cupressi, & laricis, non habitet loca aquatica, sed magis ad montanum uergat.

Plus uigilet, quàm dormiat, & maiori utatur exercitio, quàm quiete, & caueat à somno diurno, & lætetur, & passionibus animæ fugiat, quia humana corpora exterminant. &c.

#### CVRATIO PER MEDICINAS.

Confulo, quòd obseruata conuenienti uictus ratione, bis in anno purgetur, prius digesta materia. Primo igitur autumnal tempore currente, diebus septem cõtinuis capiat in diluculo syrupum sequentem.

Recip. syrupi acetosi diarodon, syrupi de eupatorio, syrupi de endiuia, mellis ros. col. an. Vnc. med. aquarum cuscute scolopendriæ, cicorii, an. unc. i. misce. Octaua uerò die per horam ante lucem capiat infra scriptam medicinam.

Recip.



Recip. Diacatholiconis. Vnc. i. Reubarbari electi, drach. ii. & med. infundatur Reubarbarum in aqua endiuia, & modico uini odoriferi, & cum granis. x. spicae, & drachmis duabus succi ireos per. x. horas, deinde fiat fortis expressio, & cum decoctione comuni florum & fructuum, quantum sufficit fiat potus.

Purgata materia consulo, accedente hyeme omni mense decem diebus continuis capiat in aurora sequentes pillulas cum apozimate post, ex iure cicerum rubeorum, Recip. Trociscorum de eupatorio, trociscorum de absinthio trociscorum de Reubarbaro, ana scropulum unum misce cum syrupo bisantino, fiant pillulae numero quinque.

Vndecima uero die capiat infra scriptam medicinam, per duas horas ante lucem. Recip. ellectuarii de mezereon gentilis. Vnc. med. Reubarbari electi subtiliter puluerizati. drach. i. & med. spicae gran. x. cum aqua decoctionis cucuta, & agrimoniae fiat potus.

In secundis uero decem diebus mensis eiusdem, capiat in aurora tribus diebus, de his decem infra scriptum potum. Recip. succi brassicae marinae quam soldanellam dicunt. Vnc. med. dissoluatur cum Vnc. duabus mellicrati, & potui detur.

Tertiis uero decem diebus eiusdem mensis bis tantum in aurora capiat infra scriptum potum. Recip. succi ireos, succi brassicae marinae. ana. drach. ii. Reubarbari electi, scropul. iiii. spicae gran. vi. misce, & fiat potus cum mellicrato, prius trito in puluerem Reubarbaro, & spica, & irroratis cum modico uini albi odoriferi. Et nota quod ubi quis non haberet succum brassicae marinae capere potest puluerem eius herbae exsiccatae in eodem pondere.

Et nota quod diebus intermediis, quibus assumit haec euacuantia ad epatis robur in aurora capiat sequentem potum. Recip. syrapi de cicorio cum reubarbaro. Vnc. ii. iuris cicerum rubeorum. Vnc. iii. misce.

Omnibus



Omniſibus autē hiſ diebus quibus utetur dictis præſidiis per os, conſulo, ut omni mane ungetur venter eius cum ſequenti unguento calido. Recip. unguenti aragon, unguenti agrippæ ana. Vnc. ii. ſucci ireos, ſucci ebuli ana. Vnc. med. miſce cum modico ceræ fiat unguentum lento igne.

Et ut non ſtet ſemper cum uno unguento, conſulo, ut etiam aliquando utatur ſequenti unguento. Recip. emplaſtri de melliloto. Vnc. vi. olei amigdalorum dulcium. Vnc. i. olei rutæ. Vnc. iii. miſce, & extendatur ſupra lana ſuccida, & calidum venter applicetur.

Item aliquando ſic operetur extendendo ſequens emplaſtrum, ſupra ventrem per totam noctem, mane vero abluatur cum vino decoctionis ſalviæ. Recip. ſtercoris caprini exſiccati, & puluerizati libr. ii. olei rutæ libr. i. ſucci ireos lib. med. ceræ quantum ſufficit, & fiat emplaſtrum molle, quod craſſo modo extendatur ſupra ventrem.

Vel aliquando fiat ſic. abluatur cum forti fricatione tota aluus cum urina pueri non polluti, præbullita cum ſale nitro, & calida.

Deinde ungetur venter ſequenti oleo. Recip. olei rutæ, olei caſtorei. ana. lib. med. aquæ vitæ. Vnc. iii. miſce, & bulliant uſque ad conſumptionem aquæ vitæ, & uſui ſeruetur. &c.

Item aliquando ſuffumigetur venter iſto modo. Ponatur eius venter ſuper aſſerem perforatam ad inſtar magnitudinis ventris, & ſupponatur vaſculum decoctionis ebullientis, & fumum ſuſum præbentis inſcripſarum rerū. Recip. ſalviæ, roriſmarini, foliorum lauri, nucum cupreſſi, ſampſuci, hyſſopi, betonicæ. ana. manipulum unum, gario phyllorum, ligni aloes, macis, nucis myriſticæ, galangæ, zedoariæ. ana. dra. ii. ſulphuris uiui, nitri, aluminis, ana Vnc. i. miſce.

Vbi vero ſuffumigium capere noluerit fomentetur aluus cum ſpongiis in dicta decoctione infuſis, & expreſſis, & recordare,



& recordare, quod in omni hac administratione defendetur epar ab unguentis, & fomentationibus.

Prætereunte uerò hyberno tempore, & accedente uere, consulo, ut iterum purgetur à principio mensis Aprilis, ubi prima die capiat infra scriptam bolum. Recip. Diacatholiconis Vnc. i. specierum ieræ simpl. drach. iii. misce, & fiat bolus, quem capiat in diluculo.

Sequenti uerò die in aurora capiat septem de sequentibus syrups. Recip. syrups de cicorea cum Reubarbaro, syrups de endiuiâ, syrups de absinthio ana. Vnc. med. Aquarum lupulorum, cuscutæ, cicoreæ. ana. Vnc. i. misce.

Octaua uerò die capiat infra scriptam medicinam. Recip. mannæ electæ. Vnc. i. & med. diacatholiconis. Vnc. med. reubarbari electi. drach. ii. spicæ gran. x. infundatur reubarbarum ut prius, & cum decoctione comuni florum, & fructuum fiat potus.

Facta purgatione consulo, ut in mense maii aggrediatur balnea nitrosa, sulphurea, uel aluminosa, & ibi potet aquam decem diebus, obseruatis seruandis in potu dictæ aquæ, sicut perfectissima sunt Balnea de Abano Patauina, laudarem quoque, ut caperet lutum Sancti Bartholomei supra aluum, & plerumque ingrederetur foucas abanenses.

Post uerò Balnea, consulo, ut semel in septimana capiat infra scriptum puluerem, dissolutum in aqua decoctionis cicerum rubeorum. Recip. brassicæ marinæ. Vnc. med. reubarbari. drach. med. spicæ grana. iii. terantur omnia subtiliter. &c.

Laudarem quoque, ut semel in mense caperet infra scriptas pillulas, Recip. pillularum aggregatiuarum, drachm. med. pillularum de mezereon. scropul. i. reubarbari electi. scropul. med. elaterii optimi, spicæ ana. gran. ii. misce, cum syrupo bisantino fiant pillulæ numero quinque.

Laudo quoque, ut quotidie mane, & uesperis duabus ho  
ris



ris ante cibum capiat bolum infra scriptæ mixt uræ. Recip. Diarodonis abbatis. Vnc. iii. diacurcumæ, Vnc. i. & med. trociscorum de lacca. drach. ii. terentur terenda. Et cum modico syrapi bisantini fiat mixtura.

Et recordetur omnibus tribus diebus etiam in æstate in aurora capere sequentes pillulas. Reci. trociscorum de reubarbaro. drach. i. puluerizentur subtiliter, & cū succo ireos fiant pillulæ numero quinque.

Vnum tamen laudarem, quod esset D. suæ maximū præsidium, si quolibet mane in aurora biberet infra scriptum potum. Recip. urinæ pueri non polluti recenter miçtæ & calidæ. Vnc. vi. zucchari. Vnc. med. misce.

Vbi uerò cum dicta urina misceretur scrop. i. reubarbari, certè melior & felicior, esset eius operatio.

### CVRATIO PER MANVVM OPERATIONEM.

**V**bi autem præcedentia non contulerint, laudo, ut submittatur Nobilitas sua operationi manuali. Iuberem igitur, ut duo fierent cauteria uidelicet, in ambobus cruribus infra genu, per quattuor digitos in parte syluestri, his enim humiditates à toto corpore conducentur.

Factis quoque cauteriis consulo etiam, ut Nobilitas sua prosequatur de his prædictis medicinis, secundum quod uidebitur doctissimo, & experto medico D. suæ. Et sic, cum Dei auxilio indubitato fateor D. suam ad pristinam redire sanitatem, ad illius gloriam. &c.

Benedictus Victorius Fauentinus, In Gymna-  
sio Patauino Theoricus Primarius,  
sic Dixit.





AD ICTERON,

& prauam epatis intemperiem calidam,

Pro Antonio Capo Mantuano

celeberrimo iuris utriusque

consulto.

Consilium

XXIII.



**I**N Dispositione Domini Antonii Capi. I. V. Doctoris celeberrimi pendente à mala cōplexione epatis calida cum materia, & cum præsentia obstructionis pendentis à crassitie humorum prohibētium decursum cholerae ad loca illi determinata, propter quod ad speciem agritudinis quam icteritiam citrinam dicunt deductus est hic eximius Doctor, & propter defluxum materiae biliosae, uel uaporum ab ea eleuatorum ad membra capitis humidæ complexionis existentis eliquescent humiditates cerebri, paratæque ad descensum ferè continuū ad membra inferiora, & præcipuè ad stomachum deriuantesque, uirtutem digestiuam ipsius stomachi impediunt & læsionem in eo causantur, quæ potius stomachi fastidiū quam dolor censetur, & hoc propter diminutam digestionem ipsius stomachi, & propter præsentiam multi phlegmatis in eo, & flatuum multiplicationem ex ipso phlegmate, cui succurrendum est actu quidem curatio respiciente ad dispositiones malas, quibus uexatur, & membra quæ sunt in causa, & quoniã epas est radix, & minera omnium malarum dispositionum in eo.

Consulo igitur, ut primitus epati prouideamus, & quoniam illius obstructio cum mala complexionem calidam disponunt agritudinem huius nobilis Domini. Ideo consu-

lo, ut



Io, ut omni anno bis, temporibus mediis ueris, & autum-  
 ni præparet digestionem in materia, & æquationem malæ  
 complexionis epatis calidi, consequenter euacuationem  
 humorum ipsum male disponentium. In uere igitur ca-  
 piat infrascriptum syrupum quinque, uel sex diebus con-  
 tinuis in aurora, ut Recip. syrupi de cicorio, cum reubarba-  
 ro, syrupi de endiuiâ, & pro stomacho mellis rosati col. an.  
 Vnc. med. aquarum lupulorum, absinthii, cicorii, an. Vnc. i.  
 misce, pro una uice, in hoc etenim syrupo sunt omnes in-  
 tentiones curatiuæ suarum dispositionum epatis scilicet,  
 & obstructionis, & malæ complexionis stomachi, syrupo  
 equidem assumpto euacuetur materia cum infrascripta  
 medicina, ut Recip. Diacatholiconis, mannæ electæ, ana.  
 Vnc. med. reubarbari optimi, & electi. drach. i. & mediam  
 spicæ gran. vii. agarici optimi & electi. scropul. iiii. zinzi-  
 beris, salis gemmæ. ana. gran. iiii. Ellectuarii de dactylis, elle-  
 ctuarii de psilio, ana scropul. ii. infundatur reubarbarum  
 cum suo correctiuo in aqua endiuiæ, & modico uini odo-  
 riferi, & iterum infundatur agaricus cum suis correctiuis  
 in oxymellite simplici quantum sufficit per decem horas,  
 deinde fiat eorum fortis expressio, & omnia simul cum de-  
 coctione comuni florum & fructuum dissoluantur, cui ad-  
 de mellis rosati Vnc. i. & fiat potus offerendus illi per duas  
 horas ante lucem, deinde facta competenti dormitione  
 duarum horarum post assumptionem medicinæ surgat  
 parumper per cubiculum deambulando clausis fenestris,  
 & per sex horas ab assumptione medicinæ, assumat ius lo-  
 tium. Vnc. vi. cum modico zucchari duarum coctarum,  
 ab assumptione uerò lotiui per horam assumat prandium  
 suum leue, & illo die custodiat se, à somno, à uento, à sole,  
 & ab exercitio maxime superfluo. Quòd si potabilis medi-  
 cina non esset sibi delectabilis loco ipsius assumat infrasci-  
 ptas pillulas eodem modo, & tempore, ut Recip. pillula-  
 rum aggregatiuarum scropul. ii. reubarbari electi, scropu-



CONSILIUM

lum unum spicæ, gra. i. & med. agarici trociscati, scro. med. subtiliter incidatur reubarbarum cum spica, & cum modico uini albi odoriferi irroretur, deinde misce omnia simul & cum syrupo uiolato fiant pillulæ numero. vii. Deinceps post purgationem competentem factam consulerem, ut adueniente mense maii disponeret se ad assumptionem aquæ mineralis, & primo balnei de uilla, cum qua maximam habeo confidentiam in dispositionibus epatis, & renibus calidis, à quibus non absoluitur. Credo etiam propter ipsam non declinare multum à temperamento per frigidum non nocere uentriculo, dum obseruet inunctionem uentriculi in die assumptionis illius aquæ cum infra scripta unctio, ut Recip. olei spicæ, olei absinthii, olei mastice ana. Vnc. med. gariophyllorum, macis ana. scrop. i. ligni aloes, nucis myristicæ an. scro. med. terenda teratur, & cum modico ceræ fiat unctio pro stomacho, assumpta autem hac aqua duodecim diebus continuis uel. xv. quotidie inquam assumendo tres urceos ipsius aquæ secundum modum obseruationis exhibitionis dictæ aquæ, quem suis medicis derelinquo, consulo, ut tribus continuis diebus sequentibus capiat aquam balnei poretæ, tres urceos inquam quotidie assumendo secundum regulas exhibitionis dictæ aquæ dadas ei à medico tunc temporis existente eo tempore derelinquendo unctioes stomachi, & attendendo epati, & renibus cum infra scripta unctio, ut Recip. unguenti sandalini, in frigidantis Galeni ana. Vnc. med. misce. Aduentante autem tempore æstatis capiat ad minus decem diebus continuis in mense de infra scripto ellectuario scilicet Recip. diarhodon abbatis, trium sandalorum, zucchari uiolati, ana. Vnc. i. misce, cum syrupo de cicorio fiat ellectuariū, de quo assumat ad quantitatem bonæ castanæ quotidie ante prandium ad minus per duas horas. Aduentante uero autumno præparet se ad secundam purgationem, & quinque, uel sex diebus assumat infra scriptum syrupum,

ut



ut Recip. fyrupi de cicorio cum reubarbaro, fyrupi de lupulis, mellis rosati colati, ana. Vnc. med. aquarum cicorii, buglossi, absinthii ana. Vnc. i. misce. Digesta materia assumat, uel supradictam medicinam, uel suprascriptas pillulas secundum modum exhibitionis superius datum. Hyeme uero accelerante cōsulerem, ut omni quinto, uel quarto die assumeret unam de infra scriptis pillulis uel in sero cum uadit dormitum, uel quod melius est pro eo in mane una hora ante lucem, uel luce aduentante quoniam non refert, ut Recip. reubarbari optimi, & electi, agarici electi, ana. drach. med. masticis, mirabulanorum citrinorum, ana scropulum unum, spicæ, zinziberis, salis gemmæ ana. gran. iiii. diagridii gran. viii. terantur terenda in puluerem, & cum syrupo de absinthio fiat pasta pillularum dosis est numero. i. Et ipse quoque non negligat assumptionem mirabulanorum chebulorum conditorum omni tempore, & hyemis, & æstatis stomacho ieiuno, quoniam in his magnum inueniet iuuamentum. Et ipse quoque non negligat obseruationem debiti regiminis in sex rebus non naturalibus, quod utique cum maxima obseruantia præmeditari debet, de quo nihil dicam, derelinquendo ipsum dominis medicis secum adstantibus. Et hæc dicta sint de curatione huius eximii, & nobilis doctoris, quæ si obseruabit, sanabitur si Deo placuerit. &c.

**FINIS.**





AD ALVI CRVRVMQVE DOLOREM

cum præfocatione uteri

pro nobili iuvene Raphaella Muranensi,

Consilium XXV.



Nobilis Iuuenis Domina Raphaella de Murano complexionis cholericæ, calidi epatis, & sicci, multiplicatiui multæ cholæræ, stomachi frigidi, & imbecillis uirtutis contractricis, cerebri humidi, calidique, abundantissimi in multis humiditatibus pituitosis, & debilis alui spiritum flatuosum adgenerantis. Quippe & matricis affectæ propter sterilitatem, qua matrix à superfluentibus humiditatibus expurgari non potest defectu partus.

Patitur inquàm Nobilis hæc mulier plerumque in aluo dolores insignes & ossis femoris, & coxæ, & fortè toti cruri comunicatos, in quibus doloribus plerumque ei contingunt præfocationes quædam matricis, quibus & ipso dolore eam admodum turbantibus creditur ipsam mori debere. Cuius doloris causam asseuero esse, materiam pituitosam irruentem à capite ad locum ossis femoris, & ad aluum, cum plerumque ipsa sentiens obdormitationem, quandam in brachiis, & manibus, iudicet materiam desuper fluere ad inferiora, quæ materia replens ossis femoris cavitates extendendo, dolorem inducit in aluo uerò debilitate caloris natiui illius conuertitur in flatum, & alui dolore inducit. Qui flatus matrici cõicatus, & renibus in utroque dolore inducit. Et cū præ dolore, & agitante uentositate, superfluitates matricis cõmoueantur, ad superiora effumando, præfocatiões ipsius matricis inducunt, & eadē pituitosæ materiæ, cum ad uentriculum inclinatur, reddunt ipsum magis imbecillem, & debilis digestiæ, & ablata appetentiæ.

Huius



Huius autem Nobilis mulieris morborum curationes triplici perficientur instrumento, uidelicet, uictus ratione medicinarum potione, & manuum operatione.

Eius igitur panis sit de tritico, & non ex aliis granis, panis enim hordeaceus, & de milio est satis ei nociuus. Sit igitur panis de flore farinae, & non recens, & calidus, sed duorum uel trium dierum tantum, & non sit crustaceus, cuius interiora sunt incocta, & exteriora ambusta, & obarida. Is enim panis deterrimus est, & non sit multum fermentatus, quia sua aciditate nocet cerebro, & neruis, & uentriculo, & matrici est contumax.

Vinum crassum, & album, & nigrum, est ei nocuum, & dulce, & acetosum, & acre, & uinum potens est ei admodum contumax cerebrum percutiendo, & neruos replendo: sit eius uinum album, uel mediocris coloris pauciferum, & cum aqua decoctionis anisorum uel coriandrorum dilutum. Et caueat à potu uini inter duas mensas in quantum poterit, & offae ex uino cuiusuis conditionis, sunt ei admodum nociuae.

Carnes omnium animalium quadrupedum crassorum sunt ei nociuae, ut bubula caro, suilla, & arietina, & uetustorum castratorum, sint eius carnes facilis digestionis, & boni nutrimenti, elixatae potius quam tostae, & quoquomodo coquantur, parentur cum saluia, hyssopo, foeniculo, roremarino, betonica, & maiorana, matricaria, & chamæpythi. Carnes sunt, pulli gallinarum, gallinae, capones, fasiani perdices, turdi, turtures, & omnes Auiculæ in arboribus & pratis degentes, & uitulina, & hœdina caro ei conuenit, & leporis, & cuniculi iuuenis, & omnes aues uitet in aquis degentes, & anseres, anates, & similes, & à carnibus salitis abstinet.

Pisces à tota sui natura, sunt ei contumaces omnes, & praesertim qui paludes, & aquas stantes inhabitant, lutosi enim sunt, malos succos progignentes. Qui uero de libero sunt,



C O N S I L I V M

ro sunt mari, & non grandes, non sunt ei admodum nocui, qui uero in saxosis fluminibus uescuntur, ei non sunt inconuenientes, sed omnes salitos pisces fugiat, sicut inimicum mortalem, & eius pisces condiantur cum saluia, petroselino, fceniculo, roremarino, & dictis hærbis.

Oua recentia, & non diu asseruata, sunt ei conuenientia, & in aqua elixata, & non sub cineribus cocta, & in patellis frixa sunt ei contumacia, quoniam sibi ipsi fumum edunt, sint mollia, & non dura.

Legumina omnia fugiat, quoniam suo spiritu flatuoso toti nocent corpori, &atrici rebellia sunt, siue exsiccata, siue recentia, & uiridia fuerint. Ei tamen plerumque concedimus cicerum rubeorum iusculum, paratum prædictis herbis, & far hordei ei conuenit.

Acrida omnia sunt ei admodum nocua, ut allia, capra, ascalonia, & huiusmodi.

Caueat à multo usu rerum acutarum, ueluti est piper, zinziber, gariophyllum, crocus, & à conditis ex his, audacius tamen ipsa aliquando potest uti, cinnamomo.

De oleribus nocua sunt ei, quæ frigida sunt, & humida, ut lactuca, beta, endiuiia, spinachia, caules, & huiusmodi. Et sub his ueniunt cucumeres, pepones, cucurbitæ, quæ sunt ei admodum nocuæ, borago, buglossum, saluia, rosmarinus, petroselinum, fceniculus, ocymum, marum, betonica, melissophyllum, satis sunt ei idonea.

Fructus omnes crudi, sunt ei contumaces, & maximè pira, & poma, cocta uerò, quoniã in his soluitur spiritus flatuosus, non admodum sunt ei nocua.

Lac ei inutile est, nocuum aluo, &atrici, eorum enim tersionem, & inde dolorem conducit. Butyrum uerò ei minus inutile est, omnifariam uerò, caseus nocuus est, & ipsum fugiat, sicut inimicum.

Acetum, & quæcunque ex eo parantur, malum est ei, & neruis, &atrici nocens, ubi uerò ea ipso uti uoluerit paratur

retur



retur cum passulis quæ in eo bullierint, & hæc de uictus ratione dicta sint.

Quo ad secundum instrumentum, quod est medicina- rum exhibitio, consulo, ut bis in anno conducat sibi sequē- tem purgationem scilicet ueris tempore, & autumnno. Pri- mo quidem digerat materiam sequenti syrupo, quem in aurora per septem dies continuos capiat. Recip. syrupi de matricaria, syrupi de betonica, syrupi de endiuiâ, mellis ro- fati col. ana. Vnc. med. aquarum betonica, matricariæ bug- lossi, ana. Vnc. i. misce.

Octaua uerò die, quoniam apparebunt signa digestio- nis in materia, cōsulo, ut capiat infra scriptam medicinam. Recip. Diacatholiconis, diasenæ lenitiui. ana. Vnc. med. elle- ctuarii indi, electuarii de dactilis ana. drachm. i. specierum ieræ simplicis scropul. ii. misce, & fiat potus cum decoctio- ne comuni florum, & fructuum, cum qua bulliant anisorū stæcados, matricariæ, ana. p. med.

Si uerò potabilis medicina fuerit ei abhominabilis, po- terit accipere easdem res in forma boli, uel sequentes pil- lulas. Recip. pillularum aggregatiuarum, pillularum de agarico mesuæ, ana. drach. med. pillularum de hermodacti- lis, scropulum medium, cum syrupo de matricaria fiant pillulæ numero quinque.

Purgata materia, consulo, Quòd quolibet mense per de- cem continuos dies, capiat bolum infra scriptæ mixturæ per tres horas ante prandium. Recip. Diagalangæ. Aroma- tici ro. Diadraganti frigidi, ana. Vnc. i. specierum triū san- dalorum drach. ii. misce, cum syrupo matricariæ fiat elle- ctuarium, & immediate post super bibat haustum iuris pulli.

Iterum consulo, quod semel in septimana capiat unam de infra scriptis pillulis in diluculo, parum super dormien- do, Recip. Turbith boni. drac. i & med. agarici electi, drac. i. spicæ, zinziberis, salis gemmæ, ana. gran. iii. Reubarbari ele-



ſci, ſcrop.iiii.hermodaſtilorum.drach.i.& med.mirabula-  
 norum citrinorum,indorum,ana,ſcropul.ii.aniforum,ſœ-  
 niculi,ana,drach.med.ſpecierum ieræ ſimpl.Galeni.drach.  
 vi.Diagridii.drach.med.terantur omnia ſubtiliter,& cum  
 ſyrupo de ſtæcade,fiat paſta pillularum,dofis eſt numero.i.  
 ad quantitatem unius ſcropuli.

Etiam facta purgatione conſulo, ut aliquâdo adhuc do-  
 lore non infeſtante ungat ſibi locum aptum dolere cum  
 infraſcripto unguento calido.Recip.unguenti aragon,un-  
 guenti agrippæ,unguenti martiaton.an.Vnc.i.olei de chei-  
 ri,olei rutæ.ana Vnc.med.misce.

Tempore uerò, quo dolor alui eam infeſtat,conſulo, ut  
 primo imponatur ei ſequens clyſtere. Reci. iuris pulli.lib.  
 i.& med. aniforum, chamæmeli, matricariæ ana.Manipul.  
 med. miſce, & bulliant uſque ad conſumptionem tertiæ  
 partis iuris,& coletur,& colaturæ adde benediſtæ drach.vi  
 ieræ ſimpl.Vnc.med.olei comunis. Vnc.iii. uitelli oui nu-  
 mero.i. zucchari rub. Vnc.i. & med. ſalis comunis drach.  
 ii.& med.misce,& fiat clyſtere.

Eiecto clyſteri ubi non ſedetur dolor, mox imponatur  
 ſequens clyſtere qualibet hora diei ubi dolor infeſtabit.

Recip. florum chamæmeli,meliloti, abſinthii, menthæ,  
 pulegii,calamenti,aneti,aniforum,carui,dauci,matricariæ,  
 ana.Manip.i. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ uſque  
 ad conſumptionem medietatis,& colentur,& de colatura.  
 Recip.lib.i. benediſtæ,ieræ ſimpl.an.Vnc.med.butyri Vnc.  
 ii.olei rutæ. Vnc.iii. uitelli oui, numero.i. ſalis comunis  
 drach.ii. zucchari rub.Vnc.i.& med. miſce, & fiat clyſtere.

Vbi uerò dolor adhuc continuaret,conſulo, ut cum ſpō-  
 gia madefacta in prædicta herbarum decoctione calida fo-  
 mentetur locus doloris, qua facta fomentatione ſex uici-  
 bus ſpongiam apponendo,ungatur locus,ſequenti unguē-  
 to calido.

Recip.olei de caſtoreo. Vnc.iii.olei de euforbio. Vnc.i.

olei



olei de cheiri. Vnc.ii. olei chamæmeli. Vnc.i.& med. aquæ uitæ.Vnc.iiii.bulliant simul usque ad consumptionē aquæ uitæ,& coletur,& colaturæ adde nucis myristicæ, masticis, olibani, galangæ, zedoariæ, calami aromatici, ana scropulū unum, terenda terantur, & cum modico ceræ fiat unguentum molle.

Vbi uerò dolor adhuc ualenter ipsam infestaret, consulo, ut statim ei offeras bolum sequentem, & supra bibat haustum uini cretici. Recip. philonii romani. drac.i. Diagalangæ, zucchari rosati, ana. drach.i. & mediam misce & fiat bolus.

Tertium uerò instrumentum complet manualis operatio. Consularem igitur, ut ipsa submitteretur cauterio in crure dextro, uel læso in parte syluestri infra genu per quatuor digitos intra duos musculos, eo enim maximum adipiscetur iuuamentum in euacuatione humorum à toto corpore, & consularem, ut priusquam cauterio submitteretur, fieret ei apertio uenæ internæ malleoli quam saphe nam uocant cum extractione sanguinis trium unciarum. Hinc uerò ad quattuor dies, secetur uena coxædicis ad tres sanguinis uncias.

Iuberem tamen & in præseruatione, & curatione expeditis quæ supra dicta sunt, ut indubitato se transferret ad balnea apponensia in comitatu Patauino, nedum submittendo se Ducia, uerum & aquæ potu utendo, & firma spe arbitror eam sanari ab omnibus suis malis dispositionibus, seruatis quippe seruandis. Tempus autem accedendi ad hæc balnea, est tempus futuri ueris. &c.

**FINIS.**



**LLL ii**



PRO DOLORE AC TUMORE

sinistri cruris cuiusdam

Mulieris.

Consilium XXVI.



Obilis, & Generosa Mulier delicati corporis mollis carne, raræque texturæ, pauci sanguinis, non multorū spiritū, tēperationis cholericæ in omni ferè uirtutum genere, ac in cūctis operatiōibus tenuit mediocritatē, macilētæ habitudinis, magnitudinis modesta, colorata decenter, satis morata, & mihi interna, rei familiaris diligens, & exacta nimis imo illi accurate, deditissima, in usu rerum non naturalium (ut potuit) deuitauit exuberantiam, annorum. XXXVI. uel circa pharmacis non affueta, minus sectioni uenæ, oculorum turbationes, & aliquando ophthalmias, sepius incurrit, quattuor peperit filios, quæ cum esset prægnans die. xii. iunii præsentis anni arrepta fuit à febre continua proportionali, proportionem inquam duplicis tertianæ pendentis à cholera nota famæ maioris, quam uitellinam nominant, die. xiii. perseverante febre, non tamen moleste nimis, nec ui accidentiū timorosa naturalem habuit partum, in cuius puerperio, ut relatum est diminute, & prope nihil fuit admodum expurgata per menstrua. die. XXI. adhuc instante febre, hora ferè. XX. caput eius sinistrum crus infra genu dolere, calefieri, rubefieri rubro quodam claro, ita ut heresypilari uisum sit.

Die. XXII. uisum est crus crassius cum rubore minus claro, ita ut non ab re etiam inflammationem auspicari potuerit, Die. XXIII. adhuc ualidius increuit tumor occupans.



pans maiorem partem eius pedem uersus cum apparitione ampullæ atrii coloris in talo eius partis domesticæ, diebus uerò. XXIII. & XXV. innumera apparuere uesicæ albæ quædam, nonnullæ fuscæ, & ad nigredinem uergentes. Die XXVI. uniuersum crus infra genu apparuit magnificari uesicatum, & in aliquibus partibus denigratum. Die. XXVII. supra genu uersus inguina nigredo sensibilis admodum, & corruptio cum diminutione sensus lateris partium, & ablatione in aliquibus paulatim repit & decurrit, die uerò. XXVIII. omnia ualidius increuere, & male terminata sunt.

Quæritur duntaxat ab excellentia sua de localibus an prædictum crus destituendum esset ab omni locali auxilio & si non, quid erat agendum in illo principante principio.

Quæritur etiam apparente sensibili nigredine, & corruptione in parte illius membri, an pars sana tutanda erat, & si sic, cum quibus auxiliiorum materiis.

Et ultra an textus Galeni decimo Therapeutices capite decimo incipiens a paragrapho illo in eis autem, qui per siccitatem, & calorem, usque ad illum paragraphum infrigidamus omni modo ethicam. &c. In aliquo faciat ad solutionem primi quæsit.

Cui puto satisfaciendum esse sic, intentione puerperii, & dispositionis eidem annexæ, quæ est profluuii menstruorum retentio, non succurrendum est membro læso huius Nobilis Mulieris cum localibus in principio principante illius ægritudinis: conuincam istud ratione ista, quoniam localia, quæ in principio conueniunt frigida debent esse, & stiptica, adeo ut augmentetur eius stipticitas supra frigiditatem, ut uoluit Auicenna tertia quarti, capi. de cura heresypelatis, & quoniam mulieres in puerperio existentes, ut sensit idem Auicenna, in de regimine enixæ, custodiendæ sunt ab omni frigore, &

ab



C O N S I L I V M

ab omni re detinente conuenientem menstruorum fluxum, & omnium aliarum humiditatum retentorum tempore conceptionis, inde est, quod apparente tali dispositione in enixa muliere in principio principiante, non conueniunt localia. Talia enim quæ competerent sui manifesta qualitate quantumcunque exterius applicata obstruunt uias, & humiditates euacuandas cogunt crassesciuntque, & earum decursum, & euacuationem impediunt, quod in regimine enixæ maxime uerendum est. Et confirmatur istud, quoniam illius dispositionis præternaturam antecedens causa, quæ eadem efficitur coniuncta est præcipitatus sanguis menstruus ad crus, quæ tempore partus conuenientis, debebat euacuari. Et quia omne studium medici in regimine enixæ, debet esse in prohibitione impredientium fluxum menstruorum, ut sensit Galenus super sexto Epidemiarum, ideo tunc temporis ei non conueniunt localia frigida, & stiptica prohibentia menstruorum fluxum, & nulla alia, ut uoluit Auicenna ut supra, &c.

Iterum conuincitur istud cum Rasi nono continentis. Dixit enim quod quædam mulier in pariendo non uidit sanguinem ut debuit, & cum difficultate fuit partus eius, & inflata est matrix eius exinde, & passa est tremorem, & rigorem, sed facta minoratiōe in saphena, mitigata est passio eius. Colligitur ex his uerbis, quod cum omnes ægritudines contingentes enixæ, ut plurimum sint ex retentione menstruorum, ut etiam sensit Auicenna. XXI. tertii ideo earum curationes studiose erunt in prouocatione menstruorum, ut fecit Rasis hic. Quoniam inflationi matricis potuisset applicare localia, quæ derelinquens, solam minorationem saphenæ tetigit, dicens nos derelinquere impediencia cursum menstruorum, & uti prouocantibus ubi expediret.

Iterum confirmatur istud ex dicto Galeni sexto Epidemiarum, dicentis totum sanguinem malum, qui coadunatus

natus



natus est in muliere, purgare in tempore partus te oportet. Si enim bene mundificatur ab his superfluitatibus enixa, sana degit, & præparatur ad alios conceptus. Adueniente igitur dispositione præter naturam in enixa à sola menstruorum retentione, ut in casu non est, Ideo medicus omne studium debet habere in non impediendo convenientem fluxum menstruorum, quia tunc sanguinem malum non purgaret, cum igitur ex applicatione localium frigidorum, & astringentium in casu nostro magis sequatur menstruorum detentio. Ideo consulo de non applicatione eorum in principio principiante, sed de securiore uia, quæ est per incisionem uenæ, ex qua purgabitur sanguis malus, profluentque menstrua. Et hæc est uia ad ablationem incepti heresypelatis in enixa sine applicatione localium.

Iterum confirmatur quod diximus. Dixit enim Galenus in .XIII. de ingenio sanitatis uerbum istud, sicut inflammationi repugnantia non sunt imponenda, nisi prius purgato corpore toto, similiter & heresypelati est faciendum, super quod arguitur sic, Hæc mulier Nobilis est enixa, & heresypelate laborat, & non purgatio conueniens menstruorum est causa heresypelatis in ea, ergo illius corpus prius purgandum est cōuenienti purgatione per fluxum sanguinis menstrui: quo sanguine malo purgato, puto ipsam ab heresypelate sanari, si deo placuerit, & hoc etiam uoluit Galenus loco præallegato, cum dixit.

Vniuersalis materiæ purgatio suple in heresypelate facienda est, nam si purgetur corpus, membrum mox ad suam qualitatem reuertetur.

Consulo igitur propter prædicta, ut in principio principiante huius heresypelatis non ita impetuose decurramus ad applicationem localium propter impediētia, quæ sequi possunt, sed regatur mulier regimine enixæ, & accidentium euenientium eidem & hæc securior est uia in curatione dispositionum malarum ipsi enixæ contingentium, maxime



maxime cum iudicium nostrum certum sit ægritudinem hanc euenisse ex sola menstruorum retentione.

Factis autem uniuersalibus, & propriis in regimine huius mulieris enixæ sine localium applicatione, si quidem sanabitur, sicut bene conuenit, uana sit & in posterum localium applicatio. Quòd si non sanetur, & ad deteriore lapsum heresypelatis, & consequentem eam ducatur, non negligatur cura cum applicatione localium ipsi membro heresypelate laboranti, tunc enim temporis non sequetur aliquod de inconuenientibus iam dictis, cum iam malus sanguis euacuatus fuerit à corpore, & maior pars superflua humiditatis, quæ erat euacuanda tempore partus, propter quod dico, dictum istud generale præmissis uniuersalibus &c. Non iuuantibus complete in principio principio heresypelati conuenit localium applicatio. Patet istud primo autoritate Galeni decimo tertio meth. ista apostemata qualis est heresypelas, & cœtera calidiora sunt quia de cholera rubea facta, quare oportet in ipsis magnam refrigerationem facere. Item dixit Galenus eodem loco.

In puro heresypelate refrigerandum membrum, donec color apostematis mutetur, & mox, ut colorem amittit, euadet, & quiescet scilicet infirmus.

Item dixit Galenus decimo quarto, de ingenio sanitatis non solum nocet heresypelas quantitatiue, sed etiam qualitatiue, eo quod nimiam generat incensionem, conuenit igitur nos eam magis inflammationibus refrigerare, hæc ille propter hoc palam est membrum hoc heresypelate laborans non esse destituendum ab omni remedio locali, & adhuc principiante nisi obstant particularia: Non lateat tamen nos obseruandum esse dictum Galeni, loco, ut supra dicentis refrigeratio uerò cū frigidis & repercussiuis non in omni loco fieri potest secure, ne cholera rubea à membro ignobili ad nobile deriuetur. Et hæc sint de prima parte primi quæsi ab excellentia tua.



De secunda autem dixit Auicenna tertia quarti, & oportet, ut in principio heresypelatis refrigeratio sit fortis attritionis, adeo ut eius stipticitas sit super eius frigus, in statu uero eius frigiditas sit uehementior stipticitate, & huic dicto concordant quæ heresypellæ in principio applicantur à Galeno. xiiii. de ingenio sanitatis, sicut solanum, semperuiuum, portulaca, psyllium, hyosciamus, léticula, lactuca, rasura, cucurbitæ, plantago, & his similia, & hoc est quod uoluit Auicenna, ut supra. Assumens succum plantaginis, succum uirgæ pastoris, & aquam rosatam, & in his mixtis infundunt pannos lineos frequenter superponendos, quousque actualis eius frigiditas remittatur, & sic continuando procedit donec membrum incipiat denigrari, uel fuscum fieri, & tunc temporis desiste tu ab infrigidatione, quia terminus infrigidationis in heresypelate est mutatio coloris, & hoc est quod dixit Auicenna tertia quarti, his uerbis, & caue ne denigretur membrum, & fuscum fiat, & incipiat ire in uiam corruptionis, & tunc remoue infrigidationem, & stipticitatem, non lateat tamen nos, quod dixit haly, in tertio libro, secundæ partis regalis dispositionis, quod si apostema est compositum ex heresypelate, & flegmone curetur cum medicinis compositis, & etiam secundum dominium materiæ exuberantis, postquam autem incensius calor cessauerit consulo ponenda esse aliqua resolutiua, sicut est aqua solani cum decoctione camomiliæ, & rosarum, apponendo supra eam facta lotionem, uel fomentationem petiam unam de scarlato, quod optimum est, & laudatum à doctoribus laudarem etiam, ut in processu his factis applicaretur emplastrum factum ex farina hordei, & fæno greci cum decoctione chamæmeli, Quod si hæc non contulerint, quantumcunque canonice operata sint, sed membro acciderit corruptio, & mortificatio ante maturationem, uel resolutionem apostematis, ita quod locus incipiat fieri flauus, uel niger, & fuscus, & sensus perdatur, &

M M M fiat



fiat quasi corruptio, uel mortificatio eius, tunc remedium est locum læsum scarificare, & ipsum frequenter lauare cū aqua salsa arte, uel natura confecta, deinde conuenit ei applicatio emplastri ex farina hordei, & fabarum incorporatis cum melle, & aceto, & hæc sint pro secunda parte primi quæsti.

Et ex hac secunda parte, orta est dubitatio secunda, apud Excellentiam tuam, si apparente sensibili nigredine, & corruptione in parte illius membri, pars sana tutanda sit, & si sic cum quibus auxiliiorum remediis.

Et huius dubitationis primæ parti satisfaciemus sic, in quolibet membro nostri corporis, cuius aliqua pars corrumpitur propter malam eius complexionem cum materia, uel sine materia in eo pars sana tutanda est, patet, quoniam operatur natura in suis operibus semper, quod melius est, ut secundo physicorum, & tertio artis medicæ, habetur, & cum ars sit imitatrix naturæ, ideo & ipsa in suis operibus debet operari, quod melius est, cum autē in esse uitæ humani corporis melius sit partem sanam defensare propter complementum operationum in quas debet membrum per sui naturam exire, ideo est, quod omni studio, omnique diligentia medicum partem sanam defensare oportet, ne adueniente corruptione inficiatur, & etiam hoc est, quod uoluit Auicenna quarta primi, capite uigesimo septimo per hoc uerbum, necesse est, ut caro corrupta quæ est supra ipsum remoueatur, suple ne putrefactio ultra procedens sanam partem inficiat. Idem quoque sonat uerbum Auicennæ, tertia quarti, tractatu primo, capite decimo sexto, dicentis, quod si pars carnis incipiat corrumpi, incide eam, aut fac eam cadere, suple tu, ut pars sana tucatur, & ne eadem putredine inficiatur, & hæc sint de prima secundi quæsti.

Secunda autem eiusdem quæsti parte, qua quæritur quibus auxiliiorum remediis succurrendum est satisfaciam

sic,



sic, corruptioni membri incipienti, & etiam procedenti cum permanentia sensus, etiam non existente scilicet perfecta mortificatione membri succurrendum est phlebotomia prius facta ex opposito partis læsæ, deinceps ex eadem parte, deinde per scarificationem partis læsæ, deinceps ex eadem parte, deinde per applicationē medicinarum prohibentium putrefactionem, patet istud per uerbum Galeni secundo, ad Glauconem dicentis, membrum quando perfectam sanationem nō patitur eam recipere potest per minutionem prius factam ex parte opposita, deinde ex parte propria, si fuerit in ea aliqua uena nigra, & per scarificationem scilicet factā super loco, & per medicinas prohibitiuas putrefactionis cum securitate.

Factis autem uniuersalibus euacuationibus per phlebotomiam cum Galeno, & facta propria euacuatione, cum scarificatione cutis membri læsi cum Galeno sexto, Epidemiarum, & cum rasi, decimo tertio continentis dicente. Si accidit in membro putrefactio scilicet nō in termino, procede ad aperiendum pellem, & extractionem sanguinis inclusi in ea, ita quod incisiones sint profundæ, & concauæ in ea recurrendum est ad applicationem localium, quibus prohibeatur putrefactio fieri in loco. & hoc est, quod uoluit Galenus, ut supra, dicentis, delinquentes post scarificationem, & appositionem sanguisugarum, &c. postea ex pharmacis apponere oportet ad putrefactia utilibus membra scilicet rectificanda, ut pharmaca hæc, quæ per oxymel, & farinam erui, uel lolii fuerit, uel per farinam fabarum, uel per ipsum solum oxymel. Quod si hæc non suffecerint, & uti uolueris fortioribus prædictis, supermitte sal, & lenias inde.

Idem quoque uoluit Auicenna tertia quarti cap. de gāgranis, cum dixit, cum uides membri colorem alterari, siue iam alteratum esse, & est in uia corruptionis, tunc oportet ut succurras liniendo ipsum scilicet, in circuitu cum eo



quod prohibeat putrefactionem, sicut cum aceto, in quo dissolutum fuerit de bolo armeno, aut terra sigillata, quoniam hæc exsiccando humiditatem & extinguendo caliditatem extraneam prohibent à putrefactione. Non lateat autem nos id de quo aduertit nicolaus, quod linimētum hoc, & quodcunque simile sæpius amoueatur, & innouetur, & non debet in loco dimitti donec exsiccet, nam exsiccatum poros loci obstruit, & debitam prohibet transpirationem, & sic in causam addit putrefactionis, & his similia remedia, & multa alia habes, & à Galeno sexto Epidemiarum, & à Rasi. XIII. cōtinentis, ab Auicenna tertia quarti, quæ non replico Excellentia tua.

Si tamen ex his omnibus actis dispositio hæc mala non fuerit ablata, neque ex his prohibeatur quin procedat, donec perdatur sensus totaliter in membro, ut fiat sphacelus & gangræna cum corruptione iam facta in carne consulo de remedio Galeni secundo, ad Glauconem dicentis, mortificatio membro, & eo carente sensu omnino quotiens pungitur, incidi debet celeriter. Dixit enim Albucasis causam, quæ mouet medicum ad incidendum aliquod membrum organicum esse, ut euadat infirmus per illam incisionem à morte, aut à malitia, quæ est maior defectus membri. Est enim hæc malitia maior, quoniam nisi incidatur putrefacit sibi uicinam partem, & hoc etiam uoluit Auicenna quarta primi, capite uigesimo septimo, dum dixit, si pars carnis incipit corrumpi tunc incide eam, & fac eam cadere cum medicinis causticis, quæ sunt sicut Troc. andarracon &c. Nunquid autem debeamus uti in cura cauterio potenciali, an actuali, derelinquo istud iudicio Excellentia tua cum consideratione eorum quæ de hoc dicuntur ab Auicenna loco, ut supra. Quibus autem remediis ad locum cauterio inustum succurrendum sit, uidebis Galenum secundo ad Glauconem, & Rasim in diuisionibus, & Auicennam ut supra, & Albucasim, & modum incisionis,



nis, & curam per applicationem localium loco inciso, ponentes. Quare. &c.

Et iterum tertio, orta est dubitatio apud Excellentiam tuam, si textus Galeni decimo, Therapeutices, capi. decimo, incipiens a paragrapho illo in eis autem, qui per siccitatem & calorem usque ad illum paragraphum infrigidamus omnino ethicam, in aliquo faciat ad solutionem primi quæsti, & arguitur quod sic, quoniam Galenus in loco allegato capi. de cura ethicæ per balnea docens curare ethicam febrem in paragrapho dicto dixit uerbum istud. Melius autem est intingentes frigida aqua extinguere calorem, Dixit enim Galenus, minus esse periculum infrigidando corpus ægrum ipsum ducere ad contrariū lapsum, quam concedere ipsum ire in uiam, quæ est ad mortem, cum primo enim stat spes salutis, cum secundo uerò operabitur medicus absque spe laboranti salutem, ex quibus uerbis concludit Galenus, in ethica conuenientem curam esse applicationem aquæ frigidæ, & hic modus curationis conuenit etiam heresypelati ergo. &c.

Quòd autem iste modus conueniat heresypelati, patet per uerbum Galeni nono meth. cum dixit, nec nocet aqua frigida heresypelati apostemati, si pura, sine alterius commixtione sit, sed eius potio est cura eius, in contrarium arguitur, quoniam in paragrapho illo docet Galenus, curare ethicam febrem refrigerando, & humectando, & hic modus curæ non conuenit heresypelati ergo textus ille Galeni non uidetur ad propositum primi quæsti, maiorē propositionem dixit Galenus hoc uerbo. x. de ingenio sanitatis cap. x. Quia uerò infrigidando quidem, & humectando firmamentum huiusmodi febris ethicæ curationis est, hæc ille minorem uerò propositionem uoluit Auic. iii. quarti, capi. de cura heresypelatis dicens, & oportet, ut refrigeratio eius in principio sit fortis astrictionis, adeo ut forte augmentetur, eius astrictio super eius frigus.

Sed:



Sed huic dubitationi per hæc iam dicta, dicam primo intentione habita ad causam facientem ethicam febrem, & ad causam facientem heresypelas modus curæ ethicæ est modus conformis curæ heresypelatis, patet, quoniam utrique competit refrigeratio, patet primo in ethica febre coniuncta causa est caliditas, & siccitas cordis consumens humiditates nutrimentales eius, & aliorum membrorum uel mala complexio æqualis in eisdem membris introducta à febre, & hæc indiget infrigidatione. Dixit enim Galenus decimo Therapeutices, ethicis nihil aliud est necessarium, nisi refrigerare, & humestare eorum corpora, & dixit iterum, refrigeramus igitur omnimodo ethicas febres confestim antequàm perueniant in marasum, idem quoque uoluit Auicenna prima quarti, cap. de cura ethicæ, dū dixit. Intentio in cura ethicæ est infrigidatio, & humectatio &c. Hic quoque modus curæ conuenit heresypelati. Dixit enim Galenus. xiiii. Therapeutices, capite secundo conuenit igitur nos heresypelas magis quàm inflammationes refrigerare, hæc ille: est enim coniuncta causa heresypelatis cholera rubea pura indigens pro sui remotione infrigidantibus, propter quod dixit Auicenna in puro heresypelate refrigerandum est membrum donec eius color mutetur. Idem quoque dixit Galenus nono meth. heresypelas non esse necesse maturari, sed refrigerari. Quare intentione refrigerationis remouentis & causam, & malam qualitatem ex causa derelictam & in ethica, & in heresypelate tex. viii. x. Therapeutices uidetur conferre ad curam heresypelatis.

Secundum dictum sit tale, intentione habita ad complementum curationis ethicæ, & heresypelatis non conueniunt ethicæ quæ conueniunt heresypelati patet, quoniam ethicæ conuenit sola alteratio faciens ad remissionem caloris febrilis iuxta illud Galeni, quia infrigidando, & humectando firmamentum huiusmodi corruptionis est, di-



xit quoque Galenus decimo Therapeutices, ethicis uero, quia non oportet purgari, quasi innuat solam alterationem ethicis sufficere, heresypelati autem conuenit alteratio remissiuæ caliditatis cholerae rubrae, & purgatio eiusdem, iuxta illud Galeni decimo quarto Therapeutices. capi. secundo, dicentis. Vniuersalis materiae purgatio erit facienda, nam si purgetur membrum, mox ad suam qualitatem reuertetur, & iterum dixit, sicut inflammationi repugnancia non sunt imponenda, nisi prius purgato corpore toto, similiter & in heresypelate est faciendum, & iterum dixit, sicut in inflammatione phlebotomia, sic in heresypelate medicatio per pharmaca conuenit &c.

Secundo principaliter arguitur ad dictum, quoniam in principio heresypelatis conuenit refrigeratio cum repercussione iuxta illud Galeni, ut supra, refrigeratio uero cum frigidis facta & repercussiuus &c. Et iuxta illud Auicennae tertia quarti, dicentis, & oportet, ut refrigeratio eius sit fortis attritionis, in ethica autem conuenit oppositum, iuxta illud Auerrois septimo colliget, dicentis, plus indigemus in hac febre humectatione quam infrigidatione. humectatione autem non repercutimus, sed siccitate astringente, ergo uidetur, quod modus curae completus sit in obseruatione diuersarum rerum in ethica, & in heresypelate. Quare concludendum puto textum Galeni decimo, Therapeutices, cap. decimo, & si appareat, & superficietenus uideatur innuere aliquid de modo curationis heresypelatis considerando quae à Galeno dicuntur, ipsi curationi heresypelatis minime applicari possunt, Quare credo sicut puto galenum credidisse paragraphum illum iam dictum in nullo satisfacere proposito quaesito, si enim in aliquo illi satisfaceret ideo foret, quia in ethica infrigidandum est. Sed bene scis, quod quis infrigidando posset astringere, & sic contrarium ethicae operaretur. Quare credendum est Galenum noluisse infrigidatione complere curam ethi-



ca nisi illi coniungatur humectatio quæ est operatio con-  
traria heresy pillæ, ut iam diximus. Quare &c.

Hæc dicta sunt à Benedicto Victorio Fauenti

no pro responsione quæ sita à quodam

Excellenti Doctore cui contin-

git prædictæ Mulieris cu

rationi præesse.

FINIS.



AD VARIAS AFFECTIONES.

quæ uteri uitium consequuntur

Pro Nobili Domina Constantia Sessa

Regiensi,

Consilium XXVII.



Agnifica Domina Constantia de Sessa No-  
bilis Domina Ciuitatis Regii. Temperatu-  
ræ sanguineæ, quam ab ortu contraxit, & si  
insignis bilis quantitate sanguis eius afficia-  
tur, quo fit, ut eius epas calidum sibi uendi-  
cet temperaturam, quam & renibus, ampli-  
tudine uenarum expirat cerebrum credo ab ortu calidū  
fuisse, sed ab his, quæ extrinsecus applicata fuere, naturalis  
calor, ita imbecillis factus est, ut potius in præsentiarum  
ei cerebrum frigidum, quam calidum uideatur, & quo-  
niam caliditas epatis, & renum eius cerebrum effumando  
offendit,



offendit, ut cerebri humiditates eliquentur, & reddant cerebrum humidum plus quàm oporteat, & quoniam humiditas magis, quam oporteat, associat sibi frigiditatem plus quàm oporteat, ob hoc D. S. modo cerebrum ipsius frigidum, & humidum diiudicat, & quoniam cor eius à multis causis offenditur, & imbecillis redditur, repente enim timet, & expauescit, ideo frigidum censetur. Causæ enim cor eius contristantes, sunt uterus, lien, mirac, & ventriculus, cerebrum quoque cor offendit, audio enim aliquando Dominam hanc, deprauata mente moueri, ut ei turbidæ præsententur, & malæ cogitationes, & imaginationes, quibus cor tremit, & expauescit, & in frigidatur. Vterum autem credo Dominam hanc frigidum habere, & humidum, non enim concipit, & quæcunque uteros frigidos & densos habent, non concipiunt, & quæcunque humidos habent non concipiunt, quibus certè dictis opinor eius ventriculum frigidum, & prauæ concoctionis esse, tum uaporibus malis ab utero ad uentriculum ascendentibus, quibus nedum uentriculus, uerum & cor, & cerebrum, & aliorum membrorum facultates offenduntur, & his propriam sui naturam permutant, perduntque, & uentriculus etiam frigidus & imbecillis fit ob eliquatas frigidas humiditates à cerebro ad uentriculum permanentes, quæ cū non sint idoneæ pro operatione uentriculi, relinquuntur ab opere eius, & in rem præter naturam uertuntur, leduntque facultatem naturalem stomachi, ipsamque reddendo imbecillem, & cum ab eadem uentriculi superfluitate ascendant fumi ad cerebrum, lædentes, & grauitantes ipsum, reddunt oppressam uirtutem naturalem, ne suas possit functiones rectè expedire, quo fit, ut uentriculus cerebrum, & cerebrum uentriculum offendat, hoc quidem materia, deorsum irruente, illud uerò fumo sursum ascendente.

Nobilis igitur hæc mulier cum his membrorum temperamentis, & totius corporis pluribus corripitur mor-



bis, ut audio. Primo capitis grauitate, & dolore atque debilitate cum mala frigida temperatura percepta. Grauitas capitis indicat causam, præsentiam materiæ in eo, grauantis ipsum, dolor indicat malam temperaturam ei contingentem. Debilitas indicat attenuatos, immo exiles spiritus animales, ob causas dictas, qui uirtuti animali non bene deseruiētes ex immodica operatione animali, & adhuc parua non resistentes deficiunt, atque delitescunt. Perceptio uerò frigidaæ temperaturæ indicat præsentiam frigidaæ materiæ plus abundare in cerebro, Quòd si aliquando in facie, & in capite nimiam percipiat caliditatem, hoc erit per consensum uaporum à iecinore, & renibus, ueluti contingit in his, qui catarrho tenentur, cuius causa calida est, & catarrhus frigidus, corripiturque uentriculi fastidio, & debilitate uirtutis concoctiuae eius, & causa est accumulatio multæ frigidaæ materiæ in uentriculo, & humida, tum propter cerebrum, tum propter diminutam concoctionem, qua maior cibi pars uertitur in superfluum.

Corripitur etiam debilitate motus progressiui, cuius causa est profluuium materiæ à cerebro per spinam dorsi ad neruos, & iuncturas, quo fit, ut instrumenta uirtutis motiua debilitentur, & motus progressiuus impediatur.

Conqueritur quoque de cordis affectione, cuius causa est materia frigida accumulata in ore uentriculi, & mali fumi ab utero ascendentes ad cor, qui cum plurimum melancholici habeant, offendunt cor, & eius facultatem, quo fit, ut aliquando Domina hæc mori uideatur.

Nos igitur morbos profligare conabimur præsiidiis, quibus melior, & habilior erit uia euacuationis, & maior spes, & nostri cōfidentia futuræ salutis Nobilis huius Dominae.

Consulo igitur in primis, cum corpora quæcunque purgare uolueris oporteat fluxa facere, ut leniente medicamento à latis uis educeute, euacuetur, in quo etiam stat concoctionis aliqualis facultas sic. Recip. Mannæ electæ. Vnc.



iii. & med. pulueris betonicae drach. i. & med. misce, & fiat potus cum decoctione comuni florum, & fructuum, qui patienti detur apud diluculum, parum superdormiendo.

Sequenti uero die per septem dies continuos in auro-  
ra bibat sequentem potum, in quo uesperis usque ad ho-  
ram sumendi infundatur scropu. i. agarici optimi ligati in  
panno lineo.

Recip. syrapi de betonica, syrapi matricariae, syrapi de  
pomis, syrapi de endiuia, mellis rosati col. ana. Vnc. med.  
Aquarum betonicae, matricariae, melissae, cicorii, ana. Vnc. i.  
misce pro una uice non amota dosi.

Octauo uero die capiat sequentes pilulas duabus horis  
ante lucem, dormiendo supra, donec dies ad nos ueniat,  
Recip. pillularum de hermodactilis pillularum de iera nico-  
lai ana. drach. med. fiant pillulae numero quinque, & quie-  
scat per tres sequentes dies.

Quarta uero die hora una post solis ortum minuatur  
sanguis, usque ad tres uncias, uel quattuor ex uena frontis  
recta, ipsa enim omnes malas capitis aegritudines extirpat,  
& maximè capitis posteriorem dolorem tollit.

Quiescat mulier per x. dies continuos, uesperis cum ua-  
dit dormitum in ore detineat ad quantitatem castaneae se-  
quentis mixturae.

Recip. conseruae stacados, conseruae chamæpytheos, zuc-  
chari ros. diaboraginati ana. Vnc. i. misce.

Mane uero tribus horis, antequàm cibum sumat, come-  
dat bolum sequentis mixturae.

Recip. conseruae anthos, conseruae rad. buglossi, zucchari  
rosati, ana. Vnc. i. & med. misce cum syrupo de pomis fiat  
mixtura.

In spatio uero illorum decem dierum disponat Excel-  
lens suus medicus sequentem duciam aquae calidae ab alto  
cadentis supra commissuram coronalem bis in die, mane  
scilicet post auroram, uesperis uero hora. xx. semper per



spatium temporis unius horæ submittendo Dominam  
Ducia abrasis quidem capillis ad quantitatem hostiæ ma-  
gnæ, supra locum commissuræ, quæ Ducia nullo alio im-  
pediente, ut febris præsertim duret per mensem, uel per  
dies uiginti quinque.

DUCIA HAEC EST.

**R**ecip. florum chamæmeli, meliloti, fanigreci, sem-  
lini. ana. Manipul. ii. florum stæcados arabici, florum  
stæcados montani, betonica, maiorana, saluia, roris marini,  
calamenti, menthæ, pulegii, abrotani foliorum lauri. ana.  
Manipul. iii. chamædreos, chamæpytheos, iuæ, herbæ para-  
lysis, ana. Manipul. ii. & med. spicæ squinanti ana. p. i. Corti-  
cum granatorum, citinorum, baccarum mirthi, nucum  
cupressi, gallarum, rosarum rubearum, granorum lauri.  
ana. Manipul. ii. nucis myristicæ numero. vi. fractæ, galan-  
gæ, zedoariæ, gariophyllorum, thuris, masticis, ligni aloes,  
ana. drach. ii. & med. sarcocollæ, sandaracæ ana. Vnc. med.  
bulliant omnia secundum artem, in quattuor corbis aquæ  
ferratæ, uel lapidatæ usque ad consumptionem tertiæ par-  
tis, deinde coletur, & in colatura adde Aluminis liquidi  
fracti libr. ii. salis nitri præparati, uel salis comunis torre-  
facti, libr. i. sulphuris uiui. Vnc. ix. Et iterum unica forti  
ebullitione bulliant, & colentur, & usui seruetur.

Modus autem faciendi Duciam, & instrumenta neces-  
saria nota sunt Nobili Domina Constantiæ & suis assiden-  
tibus. Vnum tamen consulerem, ut toto tempore hyber-  
no D. S. per spatium temporis, quattuor, uel quinque die-  
rum uesperis cum dormire uoluerit capiat unam de subse-  
quentibus pillulis.

**Recip.** Turbith gummosi, agarici electi, Reubarbari  
boni, ana drachmam unam, spicæ, zinziberis, salis gem-  
mæ, ana. gran. iii. Mirabulanorum indorum, mirabulano-  
rum



rum chebulorum, mirabulanorum citrinorum ana. drach. med. Epithimi. scrop. ii. betonicae, iuae, drac. med. specierum ierae simpl. Galeni. drach. iii. puluerizentur omnia subtilissime, cum succo absinthii fiat pasta pillularum, dosis est numero. i. scrop. i.

Recordetur autem Domina patiens, ut omni die, qua submittitur Duciae mane, & uesperi faciat sibi inungere epar, & renes, cum sequenti unguento.

Recip. unguenti rosati mesue. Vnc. ii. unguenti sandalini. Vnc. i. misce.

## IN ABOLITIONE CONCEPTVS, ET

mensium suppressione

Pro Nobili uxore magnifici Vgerii

Camertis

Consilium XXVIII.



Eni interrogatus ab uno meorum amicorum carissimo, si salutaribus quibusdam praesidiis, atque praesentaneis occurrere ualerem suppressionibus mensium, quibus in praesentiarum nobilis, & Magnifica Domina uxor Magnifici Vgerii de Camerino afficitur, quo fit, ut conceptus in ea aboleatur, & affectionum malarum timor plurimum concreseat. Quippe ut honestae petitioni morem gererem, & nostrae amicitiae uinculum adstringerem, ei pollicitus fui duo decurrere capita, quibus nobilis mulieris menses disrumpentur. Primum porro salutaria praesidia, operae, nostrae artis conductae, atque experimento approbata, aperta efficiet.

Secundum



Secundum uerò eas totius Italiae Thermas naturales reperiet, quæ muliebria educere solent. Vt porro opere precium sit non disruptis mensibus artis beneficio ad naturam se conferat thermarum naturalium, quæ Diuino quodam affectu, desiderium suum conducent, ad prolem uidelicet, & foetum concipiendum.

## Caput primum.

Neminem latere uelim, quod dixit Galenus, quinto aphorismorum, commento uigesimo octauo, illius aphorismi. Suffitus aromatum muliebria ducit, causam uidelicet mensium retentionis sanguinis crassitudinem esse, uel uasorum obstructionem, quæ pertingunt ad uterum, uel horum obserationem, uel totius uteri substantiæ densationem. Quam ob rem cum laboriosè mensibus imperemus. eis quippe non obedientibus ex ratione modi substantiæ, & consociæ causæ disruptioni ipsorum, nisi contumaces causæ prius æquatione gubernentur, haudquaquam menses erumpent, auctore Galeno primo aphorismorum, commento uigesimo secundo, illius aphorismi. Concocta medicari, &c. Idcirco, ut sanguis facile per uenas fluctitaret, eiusque crassitudinem, & adhærentiam, atque glutinationem perderet, iuberem, ut quinque dierum temporis spacio subsequenter potum in diluculo potaret.

Syrupum de duabus radicibus, syrupum de matricaria, syrupum de endiua compositum, & mel rosatum, accipito, de quolibet quantum ponderat media uncia. Quibus addito aquam capillorum ueneris, fœniculi, & sem. communium frigidorum, quantum ponderat uncia una. Nempe quinta accedente die, cum ad occasum pertingimus, uirtutis robore consentiente, atque corporis habitudine exanguis non existente, clysteri leniente peracto, iuberem sanguinis missionem, sicut & prisci, Neotericique omnes uno animo cõsentiunt secta uena sub genu curuatura, uel quæ ad interiorem clauiculam dextri cruris pertingit. Porro ex

uena



uenæ partes citra septum transversum exonerat, earumque obstructions disrumpunt, præsertim ipsius uteri, ut est videre à Galeno, in libro de curatione per uenæ sectionem non longe à fine, iterato uerò tribus ex eisdem utatur syrupis, alteratis sequenti ex puluere. Semina cheiri, lignea cassiam, & cinnamomum accipito, quantum ponderat de quolibet scropulus unus, quorum puluis in panno lineo ligatus per noctem syrupo fundito, colatoque syrupo decenti hora crepusculi dato.

Quarta uerò die priusquam diei lux ad nos pertingat, iuberem eam uti sequenti purgatorio, foliorum cheiri drach. ii. foliorum sabinæ, drach. i. sem. dauci syluestris. drach. i. & med. florum omnium cordialium, Manipulum medium, agarici in panno lineo suti. drach. i. & med. In aqua matricariæ quantum expedit, ebulito omnia, quoad totius aquæ medium consumatur, colatoque insigni pressione peracta, ea quippe colatura solue Mannæ. Vnc. i. Diacatholiconis Vnc. med. Reubarbari cum modico spicæ fusi in uino albo, & aqua endiuia, & secundum quod ars, & tempus exoptulant, drach. i. & med. Confectionis de dactylis. scropul. iiii. & potui dato. Hac porro medicatione peracta, eo quippe tempore, quo membrorum facultates purgatorio leues existunt, iuberem eam uti debere ad mensium eruptionem dicendis antidotis.

Cum igitur uespera cubare uoluerit, octo ante diebus ad solitum tempus, quo solent menstrua disrumpi diluat sibi crura sequenti lotione insigniter calida. Calamentum, origanum, saluiam, sabinam, cheiri, pulegium, matricariam, de quolibet manipulum unum accipito, & in uino albo potenti ebulito, quo ad uini media soluatur pars, & reliquum usui seruato. Hoc peracto mox ungat sibi domesticas coxarum partes ad orificium uteri pertinentes, sequenti lotionem, olei sisamini, succi sabinæ, cuiuslibet. Vnc. i. moschi optimi, gran. x. misceto, & ualentius efficies. Si in linimento



mento dicto suppositorium ex bombice inuolues, & orificio uteri applicueris, currentibus quippe noctibus illis, simul & muliebria current.

Matutino uerò ad nos accedente tempore, potationem sequentem eam capere iubeo, & in paululo somno se exercitabit, sem. cheiri, drach. i. sem. cartami drachm. med. in sex unciis uini albi ebullito ad tertiæ partis solutionem, & residuum uini colati, & calidi dato. At & tribus horis post bibitum uinum, iubeo uti suffitibus aromatum ad uulua, ut Hippocratico more menses educantur. Ligneam cassia, costum cinnamomum, amomum, gariophyllum accipito, ex omnibus in puluerem conductis suffitum uulua efficit, nisi capitis grauitas mulieri molesta sit, tunc enim uelim te contentum esse solis crurium frictionibus illa hora uel simul cucurbitulis coxis, & genuum plicaturis iunctis, at suffito peracto, mox imponat uteri orificio sequens suppositorium filo ligatum, & bombice confectum, ad unius horæ spacium temporis tantum, succi mercurialis, succi cheiri, succi sabinae, aceti, cuiuslibet. unc. med. moschi gran. x. nitri. drach. i. accipito, miscetoq; & intinctum in his suppositorium uulua applicato. Quod si eo sublato uulua pruriturum, & ardorem sentiret. Lacte ouino, uel uaccino eam dilues.

Vnum tamen uellem mulierem nobilem recordari, ut in condimentis suis, sequentibus utatur speciebus, menstruis imperantibus, cassiam ligneam, cinnamomum, costum, gariophyllum, de quolibet quantum ponderat. unc. med. semina cheiri, sem. cartami, de quolibet. drachm. i. & med. de croco, drachmas duas, de zuccharo, unciam unam accipito, & in subtilissimum puluerem conducito, & usui seruato.

Nempe si dicta muliebria non erumpent, iuberem Magnificam Dominam duobus sequentibus antidotis mihi quippe domesticis, & familiaribus à quibus dubio procul  
spacio



spacio dierum sex, menses latius aperientur.

Prima antidotus, betonicam, cinnamomum, asarum, casiam ligneam, irin, squinantum, cyperum, nigellam, de quolibet drach. i. accipito, ex his fiat puluis subtilis, cuius pars crassa in uini albi odoriferi. Vnc. vi. fundatur spacio temporis diei naturalis, inde uinum colato, ipsumque in sex partito partibus, cuilibet earum sextam subtilis pulueris partem misceto, calidamque in diluculo potui dato, disrumpentur quippe menstrua tempore, quo educi solent.

Secunda antidotus est. Aquæ pimpinellæ lib. ii. sem. cheiri drach. ii. spicæ, squinanti cuiuslibet drach. ii. & med. accipito, ebulitoque quoad quarta soluatur pars, & colato, colatumque in quinque partitum partibus earum cuilibet paululum zucchari misceto, & in diluculo potioni dato. & cet.

Caput secundum.

Apud priscos inuentum est, præsertim apud Aristot. uigesima tertia, problematum particula, problem. decimo nono. Balnea naturalia calida omnia sacra esse. Hoc ideo omnes proclamauerunt esse, quoniam à sacerrimis fiunt, hoc est sulphure, & fulmine. Porro cum sulphur, & fulmē in cauernis contenta terræ occultis uigeant naturis, Quo fit, ut eo occulto, ueluti sacro quodam, & balnea sulphurea, & fulminea sacerrima dicantur. Non ab re dixit conciliator, sacrimoniam sulphuris, & fulminis alchimix effectus ex eorum præparatione exactè ostendere. Quo fit, ut ab eorum manifesta natura effectum unum conducant: ab occulta uerò contrarium, ob quam rem & ratione, & experimēto expertus sum, porretana balnea in Bononiensi sita comitatu uere sacra nuncupanda fore, cum merito sulphureæ naturæ, & aluminosæ Diuinos conducant effectus, atque uigente in eis nitrositate à toto soluit corpore uteros repletos sui ui attrahendi, & attenuandi mundans, quo fit, ut impregnationi præsidium præstet, & steriles præ-



gnantes acceleret. Et cum ipsius uis merito naturæ sulphuris nitri, & aluminis, ut placuit Galeno nono, simplicium pharmacorum, exalfaciendi, attenuandi, exsiccandique sit, non ab re egressioni sanguinis ex hemorrhoidibus, & cursui mensium immodico tum alborum, tum rubeorum insigni præsidium præstat, at quoniam experientia sola fidem facit ut Dixit Galenus nono, simplicium pharmacorum tractatu secundo, capite decimo nono, & quarto methodi capite tertio, quod uidi illius testimonium perhibeo, illius uidelicet porretanæ aquæ potionem, nedum adstricta muliebria aperire, uerum & parca latius conducere, ob quam rem mulieres, quæ mensium inopia sterilitatis multum percurrerunt tempus, confestim potu aquæ illius utero gerentes effectæ sunt, & hoc est id sacerrimum, quod huius aquæ porretanæ contribuitur, ut profluentes menses adstringat, adstrictos uerò educat. Igitur intrepida fronte tum ex clausis mensibus, tum conceptionis desiderio, & ex his, in quibus experimento edoctus sum pluries, salutaris consilio hortarer Magnificam Dominam sacram epotare aquam, quæ cum diuina sit, diuino etiam auxilio finem honesti desiderii adipiscetur. Quippe obseruatis, quæ obseruari debent, ad huius aquæ potum, ne incidat in scyllam cupiens uitare caribdim.

Alterum Italiæ balneum situm in Comitatu Senarum apud Sanctum Cassianum priori uocabulo dictum lafigunzella. Hoc quippe balneum gentilis, & ugolinus de monte catino inter temperata balnea disposuerunt, cuius uigens natura aluminosa ferrea non fugiens sulphuris substantiam, quo fit, ut immodicos lapsus in humano corpore conducere nequeat. At & iecoris obstructions, & splenis, atque ipsius uteri mira proprietate referat, ut obstructos menses referet, & immodice referatos claudat. Quippe non putabis ferri naturam apertionibus mensium contumacem esse, cum hæc potius diuino effectui, quàm naturæ



turæ contribuamus, experimēto enim edocti sumus aquā hanc epotam nedum retentos menses educere, uerū & ad conceptum plurimum conducere, ob quam rem hortarer magnificam Dominam ad huius aquæ potionem, neque quis pavidus sit de ferro, cum eius uis stiptica humiditate aquæ frangatur, auctore Galeno tertio, de compositione medicamentorum per genera, quo fit, ut aqua extinctionionis ferri obstructionibus epatis & splenis opituletur, ut ex principe habetur secundo canone. cap. CCLII.

Alterum uerò est Italiæ balneum in Comitatu Viterbii constitutum, quod à Gentili cadii, uel cambii balneum appellatur. Ab Vgolino uerò de monte catino balneum uallis dicitur. Et hoc forte recentiori uocabulo balneum Papæ nunc temporis uocatur, eius quippe natura sulphure participat, & usus eius plus est mulierum, quàm uiorum. Et experimento compertum est insigne præsidium conceptioni contribuere. At & mulierum uteros à glutinosis humoribus & adhærentibus mundat, abstergitque. Quippe quod ei facerrimum est, obseratos menses mira operatione aperit, & steriles porrò mulieres confestim fecundas conducit, ob quam rem lata mente iuberem, mulierem hanc nobilem ne dum balneum hoc pensitare, sed audenti animo, & hylari fronte id concapescere, Nedum quippe epotando hoc, & ante dicta balnea, uerum & mane uesperique in his moram trahendo, quo fiet, ut matrix roboretur, & illi consociæ partes, & glutinosi humores uteri ambitus obserantes, incidantur, attenuenturque, & uirtute aquæ calentis facilè soluantur, & deiiciantur. Quo fiet ut utero mundato menses ciantur, & conceptionis desiderium Nobilis Mulier ioue uolente consequatur. At uellem ego postea, quæ dixi Nobilem hanc mulierem, sequens obseruare experimentum: Quo sicut multæ nobiles mulieres beneficio illius me ipso duce concepere, dubio procul desiderium conceptionis eam obtinere asseuero, ubi scili-



cet omnibus duobus mensibus tale expediat experimen-  
tum. &c.

Vbi igitur Nobilis hæc mulier menses suppressos ha-  
buerit, eorum apertionem procuret, tum missione fan-  
guinis ex duabus saphenis in talo, tum aliis ingeniis, quæ  
à nobis iam dicta sunt, Quibus mensibus iubeo, totius cor-  
poris facta purgatione permeante lunæ cremēto per quin-  
decim dies continuos apud diluculum deglutiat sequens  
condimentum, & per horam superdormiat, ouum unum  
recens, coctum, forbile, & tremulum accipito, cui adda-  
tur uteri leporis præparati, idest loti prius cum uino albo  
odorifero, & potenti, deinde exsiccati, uel in umbra, uel  
apud ignem lentum, & optime in puluerem subtilissi-  
mum reducti, drachmas duas, & potui dato, & statim  
super ipsum bibat haustum uini optimi maluatici, & dor-  
miat. Vesperi uerò cum ibit dormitum idem faciat. At  
mane per tres horas ante prandium, & post meridiem,  
his diebus, quibus ouum potauerit, capiat drachmas duas  
huius nostri ellectuarii præciosi, in quo est omnis uirtus  
fœtum concipiendi. Recip. corticum citrii, zedoarii, de-  
ronici, carabæ, coralli rubei, ana drachmam unam serici  
crudi minutim incisi, been albi, & rubei, folii, spicæ nardi,  
cardamomi, gariophyllorum, anthos, calami aromatici,  
ana drachmam mediam, ofsis de corde cerui, drachmas.ii.  
margaritarum omnium, rubinorum, iacintorum, smarag-  
dorum, sem. samplici, stæcados arabici. ana, scropulum. i.  
limaturæ auri, & argenti, florum buglossi, tormentillæ,  
ityracis, calamitæ, spodii, sem. basiliconis, macropiperis,  
ana drachmam mediam, moschi optimi, ambra optimæ,  
ana scropulum unum menthæ sicca, masticis lucidi, ana,  
scropul. ii. & med. conseruæ buglossi. Vnc. unam, zucchari  
quantum expedit pro specierum summa, & fiat ellectua-  
rium secundum artem, quod non habet quòd sit ei par ad  
fiendam conceptionem.



Hæc Dixi Ego Benedictus Victorius Fauentinus, In Do-  
ctissimo Gymnasio Patauino Primum ex ordine in  
Medicina theorica profitenda locum obtinens

Anno à Christi ortu M. D. XXXV.

Die XXIII. Aprilis. Ad laudem,

& Gloriam illius Qui cuncta

gubernat. Amen. &c.

FINIS.



IN SUPPRESSIONE MENSIVM

Pro Nobili & Magnifica Vxore

Ioannis Hieronymi

Bergomatis

Consilium XXIX.



**N**obilis & Magnifica Domina Vxor Domi-  
ni Ioannis Hieronymi Bergomensis ætatis  
annorum XXV. Temperaturæ à primo  
femine sanguineæ, cum insigni ipsius fla-  
uæ bilis admixtione, Quo fit, ut ob bilis  
abundantiam facilè sanguis in choleram uer-  
tatur, & nunc temporis Nobilitas sua, & ad actiones chole-  
ricas, & ad totius corporis cholericam habitudinem facile  
pertranseat. Epate quidem, & corde eandem sapientibus  
temperaturam, à qua nunc temporis abundante adustiuâ  
caliditate, concreata est insignis melancholiæ quantitas, oc-  
cursantibus quidem animæ passionibus, & ægritudinum  
tristitiæ



tristitia, ut concausa facta est ex accidente temperaturæ melancholicæ, ob quam rem ubi alias carne abundans erat, nunc uerò macredine, & consumptione afficitur.

Patitur inquam hæc Generosa Domina mensium suppressionem ob crassos, hærentes, & glutinosos humores, uias matricis obserantes, ei quippe communicatos ab ambitu totius corporis, eisdem repleti humoribus tum propter consensum à capite humidæ temperaturæ effecto consentiente toti corpori, & utero distillatione quadam, materiam promptam ad obstructionem progignendam, tum uitio facultatis concoctricis uentriculi adgenerantis prædictos humores pituitosos, qui sua crassitie, & hærentia ad totum delegati, & ad uterum ipsum, hinc & inde obstructionem conducunt, ob quam liberum sanguinis menstrualis exitum, idoneo peragendum tempore prohibet. Et ob hanc mensium suppressionem Magnifica hæc Domina uariis symptomatibus afficitur. Primo capitis dolore, eleuatis ab utero ad ipsum uaporibus, qui replentes meatus cerebri & ipsum, & pelliculas suas extendunt, & dolorem concreant, unà simul concurrente plenitudine capitis ex superfluitatibus in eo genitis, ob eius naturalem facultatem concoctricem factam imbecillem uaporibus ab utero ipsum petentibus, secundo tenetur debili stomachi concoctiua, tum ob uitiatum cerebrum consentiens stomacho superfluitates distillationis uia. Quæ cum ipsi sint contumaces, relinquuntur ab opere uirtutis eius naturalis, & ei præter naturales efficiuntur, & stomachum grauantes, & mala qualitate afficientes, eius naturalem facultatem perturbant. Et ob hoc patitur tertio debilitatem, & appetentiæ corruptionem, tum propter præsentiam extraneæ superfluitatis, tum ob uapores eleuatos ab utero ad os uentriculi, qui eius sensum stupidum reddunt, & appetentiâ minuunt. Quo fit, ut non debite nutriantur membra, & totum corpus eius macilentum, & consumptum restitua-

tur,



tur, deinceps Magnifica hæc Domina & alui rugitu, & strepitu, atque dolore, tenetur quarto uaporibus in aluo præsentibus ab utero delegatis, qui cum naturam spiritus flautuosi sapiant, consimiles effectus progignunt. Et quinto afficitur patiēs hæc Domina horrore quodam ferè ad omnia corporis membra, communicato, etiam his uaporibus quos uniuersis musculis uterus consentit, qui cum quandoque sint acuti eos pungunt, propulsantque eorum calorem ad intra, & rigent calore depauperato. Et huic forte consentit distillatio ab uteri uaporibus ad caput, quæ uel sui algore, uel fortè acutie horrorem quendam in corporis musculis conducunt. Et ab eisdem malæ naturæ uaporibus, tenetur sexto Magnifica hæc Domina falsis imaginationibus plerumque & falsis cogitationibus, quoniam uapores, qui ab utero ad caput eleuantur, cum turbidi sint, & syluestres spiritibus animalibus, quibus cum miscentur, eos turbidos reddunt, factosque syluestres uirtuti animali, Quo fit, ut ea iudicet esse quod non est, & non esse quod est. Nempe ex his non immerito contingere posset nobile matronam uteri præfocioni submitti, ad quam facile cõsequetur animi defectus, uertigo, epilepsia, & omnia cerebralium ægritudinum genera.

### CVRA.

**C**um omnis morbi curatio in abolitione causæ consistat, ut secundo aphorismorum, commento uigesimo secundo. Dixit Galenus, & tertio artis medicinalis, ob hoc aliàs sciui, quod si mensium suppressorum causas aboleamus, menses ipsi reserabuntur, & cum suppressionis mensium causa, sit obstructio nedum uiarum matricis, uerum & ambitus totius corporis, ideo hac obstructione amota, aperientur menstrua.

Fiet autem hoc tribus remediorum generibus. Primus est



est uictus ratio. Secundus est medicinarum exhibitio. Tertius uero est manualis operatio.

Pro primo caueat ab omnibus cibis humores crassos, & glutinosos, atque hærentes progignentibus, qui & facile in spiritum flatuosum uertuntur. Sequatur autem omnia ciborum genera bonæ concoctionis, facilis penetrationis, & boni nutrimenti.

Sit igitur eius panis de flore farinae, non recens unius diei, sed duorum uel trium, non admodum, ut exteriora arida sint crustacea, interiora uero incocta, is enim deterrimus est panis.

Vinum eius non sit nigrum, non crassum, non turbidum, non dulce, non potens. Hæc enim uina obstructione procurant, & uterum ad superiora commouent, non sit acetosum, non acerbum, quoniam utero contumax est, sit autem eius uinum album, uel mediocris coloris, pauciferum. &c.

Carnes eius sint boni nutrimenti, & facilis coctionis, ut pullorum gallinarum, caponum, perdicum, fasianorum, fregellarum, pullorum columborum, & generaliter omnium auicularum in arboribus degentium. Quæ autem aues in aquis degunt, sunt ei inconuenientes, ut anserum & anatum carnes, & similibus. Conueniunt quoque ei hædinæ carnes, & uituli lactantis, & cuniculi iuuenis, & iuuenis castrati. Sunt autem ei malæ, ut caro bubula, suilla, & ceruina, & castrati antiqui, & pecorina tam iuuenis, quam antiqua. Et carnes eius omnes sint elixatæ, potius quam tostæ, uel in patellis frixæ, & omnes salitæ carnes cuiusuis speciei, sunt ei admodum contumaces.

Oua gallinarum si sunt recentia, & non diu asseruata, & non dura, sed tremula, & maximè sorbilia, & in aqua decocta, & non sub cineribus assa, neque in patellis frixa, sunt ei conuenientia, præsertim eorum uitellus, malum autem est ei albumen.



Pisces, si sint de aquis mundis, & de torrente, & saxoso flumine, & de libero mari, & non de paludibus, & aquis stantibus, sunt ei minus mali, & elixati conueniunt, frixi uero in patellis admodum mali sunt, pessimi uero saliti.

Olera quaecunque abundantis sunt humiditatis, ei minus conueniunt, ut lactuca, spinachia, beta, & caules, non conueniunt, humorem enim progignunt melancholicum, herbae autem, quae non multo abundant sicco, magis ei conueniunt, ut buglossum, borago, endiuia, & similia.

Fructus omnes sunt ei contumaces, propter eos facile putrescibiles esse, minus tamen nocent ei ficus, & uuae bene maturae.

Legumina omnia sunt ei nocua, propter esse spiritum flatuosum progignentia, admodum tamen ei conuenit iusculum cicerum rubeorum decoctionis foeniculi, anisi, matricariae, & huiusmodi.

Acetum autem, & omphacium, & quaecunque acerba sunt, propter esse matrici contumacia, & ob eorum stipticam uirtutem non conueniunt.

Secunda intentio, quae est medicinarum exhibitio, tribus intentionibus specialioribus completur, prima, digestionem in materia, secunda euacuatione, tertia membrorum confortatione.

Prima intentio perficitur, cum syrupis sequentibus, in quibus est facultas aperiendi uias matricis, & aequandi causam obstruentem eas, & facultatem matricis confortandi, & remittendi omnia symptomata sequentia mensium suppressionem, ut est syrupus de duabus radicibus, & de quinque radicibus, & syrupus bisantinus, & syrupus de matricaria, & syrupus de lupulis, & oxymel, simpl. & mel rosatum, & aquae sint ad eandem intentionem, & potentias syruporum roborantes, ut aqua absinthii, foeniculi lupulorum, matricariae, boraginis, buglossi, & similes. Digeratur igitur materia per septem dies continuos cum sequenti syrupo,

PPP

praecedente



C O N S I L I U M

præcedente tamen uētris lenitione cum lenitiuo, uel cum cassia, uel manna, uel cum clysterio lenitiuo, in cuius decoctione bulliant, matricaria, foeniculi, & betonica propter caput, cum mercuriali, & malua, & uiolis. Recip. syrupi de daabus radicibus, uel bifantini, sine aceto. Vnc. i. syrupi de betonica pro capite, mellis ros. col. pro stomacho, ana. Vnc. med. Aquarum matricariæ, foeniculi, lupulorum, an. Vnc. i. misce, uel fiat sic. Recip. syrupi de matricaria, syrupi de quinque rad. syrupi de betonica, mellis ros. col. ana. Vnc. med. aquarum matricariæ lupulorum foeniculi, an. Vnc. i. uel loco aquarum uti potest patiens decoctione cicerum rubeorum.

Consulo quoque quod alternis diebus, quibus syrupos capiet, utatur stomacho ieiuno sequenti clystere, ubi non esset bina uentris eductio. Recip. mercurialis, blitis, foliorum maluæ, matricariæ, chamæmeli, anisorum, ana manipulum unum radicum liliorum alborum. Vnc. med. bulliant usque ad consumptionem medietatis aquæ, & colentur. Et de colatura. Recip. lib. i. olei liliorum alborum. Vnc. iii. ieræ simplicis. drachm. vi. zucchari rubei. Vnc. i. & med. Vitelli oui numero. i. Salis comunis, drach. ii. & imponatur clystere.

Continuet uerò frictiones mane in coxis, & cruribus cum panno de rosato pro tēpore assumptionis syruporū, uel donec appareāt signa coctionis. Deinde aggrediatur secundam intentionē, quæ est euacuatio, certè euacuatio duplici ingenio potest fieri, uel sanguinis missione, uel purgatione, & omnibus benè pensitatis, & si corpus macrum sit, quoniam tamen insignis quantitas sanguinis detenta est, quæ singulis mensibus solita est expurgari, qui sanguis detentus, factus est præter naturam nocuus toti corpori. Ideo lata mente iubeo, uel antequàm capiat syrupos sola lenitione uentris præcedente, uel tribus captis syrupis, ut aperiatur saphena pedis dextri, & sit missio sanguinis quattuor



quattuor unciarum tantum, quoniam macra est. Demum autem facta sanguinis missione, captisque syrupis, apparentibus signis concoctionis, iubeo Magnificam hanc Dominam sequenti medicina debere purgari, ea quippe capta per horam ante lucem paulisper superdormiendo. Recip. Diacatholiconis, Diasenæ lenitiui ana. drach. iiii. agarici electi. drach. i. Reubarbari optimi scropul. iiii. spicæ, zinziberis. ana gran. iiii. confectionis hamec. drach. med. electuarii de dactylis scrop. ii. infundatur agaricus cum zinzibere in oxymellite simpl. per. x. horas. Infundaturque reubarbarum cum spica in aqua endiuia, & matricaria, quan. suffic. cū modico uini odoriferi albi per otto horas deinde fiat fortis expressio, & omnia simul cum decoctione comuni florum, & fructuum, cum qua bulliant matricaria, betonica, polipodii quercini, ana drachm. ii. dissoluantur, & fiat potus.

Vbi uero potione mulier hæc Magnifica non delectaretur, capiat eadem hora infra scriptas pillulas.

Recip. pillularum aggregatiuarum scropul. ii. agarici trociscati, scropulum unum, pillularum aurearum nicolai, scropulum medium, misce cum syrupo de matricaria fiant pillulæ numero quinque.

Vbi uero in forma boli medicina esset ei magis grata, capiat infra scriptum bolum eadem hora.

Recip. Diascebesten lenitiui. Diacatholiconis. ana. Vnc. med. specierum ieræ simpl. Galeni, drach. i. & med. Reubarbari electi, drach. i. spicæ gran. iiii. Reubarbarum cum spica subtiliter incidatur, & cum modico uini albi odoriferi irroretur, & fiat bolus cum zuccharo.

Consulo quoque, quod intentione euacuationis ad minus bis in anno duplici submittatur euacuationi, in uere, uidelicet, & autumnno, cum iam dicta euacuatione, uel secundum quod suis excellentissimis medicis uidebitur.

Non ab re tamen esset, nisi impregnatio nos impediret,



C O N S I L I V M

Nobilitatem suam quolibet mense semel in diluculo sequentes deglutiret pillulas. Recip. agarici electi præparati, reubarbari optimi, aloes loti, ana scropul. i. croci, gran. i. & med. misce cum syrupo matricariæ fiant pillulæ numero quinque puluerizatis puluerizandis.

Tertia intentio specialis, est membrorum roboratio quæ stat primo in roborando principalia, & maxime cor, & cerebrum, & demum matricem, & cum his, quæ stomachum ipsum habent corrigere, & appetentiam reuocare, inter quæ expertum est sequens ellectuarium ad hæc omnia admodum ualere, & dicitur ellectuarium de citrio.

Recip. corticum citrii. Vnc. iii. zedoarii, doronici, carabe corallorum rubeorum ana. drach. ii. ferici crudi minutim incisi, been albi, & rubei, folii spicæ, cardamomi, gariophyllorum, anthos, calami aromatici ana. drach. i. ossis de corde cerui, ambarum margaritarum, rubinorum, iacintorū, smaragdorum, sem. semplici, limaturæ auri, & argenti, ana. scropul. i. florum buglossi, tormentillæ, styracis, calamitæ, spodii, sem. ocimi macropiperis, ana. drach. med. Musci, ambræ, ana scropulum unum, mentæ siccæ, matricariæ, calamēti, ana. drach. ii. & med. masticis, scropul. ii. & med. conseruæ buglossi, conseruæ boraginis, conseruæ roris marini ana. Vnc. i. croci, scrop. ii. terenda terantur, & cum zuccharo optimo, quan. suffi. fiat ellectuarium dosis est, drach. ii. pro uice, tribus horis priusquam prandeat.

Et quoniam accepi Magnificam hanc Dominam uniuersi corporis consumptione teneri. Ideo laudo, quòd omni mane in diluculo capiat. Vnc. i. infra scriptæ mixturæ, dissolutæ cum iusculo bonæ pullæ superdormiendo, & idem faciat omni uesperis, cum cubare uoluerit.

Recip. carnis pulparum caponis, & fasiani, ana. Vnc. iii. amigdalarum dulcium mundatarum, pinearū, pistaciorū, ana. Vnc. i. & med. sem. mellopeponū, mundatorum. Vnc. i. amyli, draganti, ana. drach. i. & med. croci gran. ii. zucchari

quant.



quan. suffic. & fiat mixtura liquida.

Consulo quoque pro cordis uigore, ut omni mane ante cibum ungetur tota cordis regio cum sequenti unguento calido superponendo ei petiam de serico, de grana, uel de cremisino.

Reci. olei nymphaeae luteae. Vnc. ii. pulueris florum nymphaeae luteae. dra. i. sandalorum rubeorum, corallorum rub. sem. acetosae ana scropu. i. margaritarum, ligni aloes, ossis de corde cerui, ana scrop. med. camphorae, croci, an. gran. iii. cerae albae lotae, cum aqua nymphaeae luteae, quan. suffic. & fiat unguentum, puluerizatis puluerizandis pro corde.

Pro cerebri uero uigore, & capitis dolore, laudo quod quotidie uesperi in ingressu lecti sub palato teneat ad quantitatem nucis auellanae, donec quod sensim lambendo descendat, infra scriptam mixturam.

Recip. conseruae stacados, conseruae anthos, zucchari rosati, ana. Vnc. i. misce.

Mane uero utatur ieiuno uentriculo leuibus frictionibus a sursum in deorsum, usque ad pedes fricando, post quas, immediate capiat bene mandendo infra scriptas radices. Recip. radicum acori conditarum. Vnc. med.

Nempe quoniam Generosa haec matrona principali affectione tenetur mensium suppressione, a qua omnia in ea pendent mala, ideo laudo, ubi per dicta menses non aperiantur, & concoctione, & euacuatione praecedentibus, alterius diebus, capiat drach. i. & med. sequentis pulueris dissoluti in aqua, uel decoctionis matricariae, & sabinae, & statim menses referabuntur.

Recip. cassiae lignae. Vnc. med. cinnamomi dra. i. croci scro. med. misce, & fiat puluis subtilis.

In eadem intentione laudo, ut mundato corpore mane & uesperi ante cibum diluat sibi a genibus infra, cum sequenti decoctione.

Reci. calamenti, sabinae, matricariae, pulegii ana. Manip. i. bulliant



C O N S I L I V M

bulliant in suffi. quan. aquæ cineris usque ad consumptionem medietatis, & usui seruetur.

Vbi autem hæc non contulerint, consulo, ut in roboratione stomachi, & intestinorum, & uteri, & illius obstructionum apertione, ut aggrediatur thermas apponenses in Comitatu Patauino, quoniam merito suæ mineræ, & naturalis temperaturæ, omnia nutritiua membra corroborant, & earum obstructions tollunt, & stomachum, & intestina, atque matricem à superfluitatibus purgant, à quibus fumi eleuantur ad caput, & illius dolorem progignunt, tollendoque dolorem capitis, etiam ipsum caput securum reddunt ab aliis cerebri morbis, ab illis ortis uaporibus. Ultra hoc quod mundificando uias matricis, & eas aperiendo, secure prouocant menses. Quam aquam ei administrandam puto in potu, & in balneo usque ad regionem matricis, & non aliter. Harum autem thermarum idoneum accessionis tempus est à principio Maii ad medium Iunii, uel circa, & à medio Augusti ad finem Septembris, seruatis, quæ seruari debent ad potum aquæ dictæ. Et erunt D. suæ Thermæ hæc facerrimæ, econtra uerò contumaces.

Quantum uerò ad tertiam intentionem generalem, quæ est manuum operatio. Consulo Magnificam hanc Dominam in eo super quod sum bene expertus. Et est, ut ei conducantur duo cauteria in cruribus infra genu per quatuor digitos in parte syluestri, & teneantur aperta, conducunt enim cauteria hæc humores à toto corpore, quo fit, ut ab utero prouocentur deorsum superfluitates, & eius natura exonerata, menstrua singulis mensibus propellet, diuertenturque uapores ad inferiora, ut superiora membra secura reddantur à nocumentis, & præsertim cerebrum, liberabiturque uirtus animalis, ut non false cogitet, & imaginetur, eius enim spiritus animales non reddentur syluestres ob uapores matricis eis non permixtos, propter



propter ipsos inferius retractos esse. Et ex his salutari-  
bus remediis, certè nedum succurremus suppressioni  
menstruorum, uerum & omnia corrigentur symptoma-  
ta, quibus Magnifica & Generosa Domina male tracta-  
tur. Ad Dei Gloriam. Amen.

Benedictus Victorius Fauentinus dum in Aca-  
demia Patauina Medicinæ Theoricam  
profitebatur hæc dixit.

FINIS.



**IN SUPPRESSIONE, ET ARDORE**

urinæ inter mingendum

Pro Nobili Domino Bernardo

Augustano

Consilium XXX.



Nobilis, Et Magnificus Dominus Bernardus  
Germanus, de Augusta ætatis suæ annorū.  
XXXIII. temperaturæ sanguineæ ex natu-  
ra, cum insigni ipsius bilis commixtione,  
ueluti suæ Dominationis habitudo carno-  
sa id nobis indicat: cum aliquo citrinitatis  
colore rubedini permixto. Estque sua D. benigna, hilaris,  
iucunda, amabilis, & admodum grata. Quòd si aliquando  
propter bilem cito, & uelociter irascatur, sanguinis tamen  
benignitate repente placatur, & quoniam in eo cholera  
non ab acumine est immunis, ideo per eam sanguis conti-  
nue



C O N S I L I V M

nue in bilem mutatur, & acutior redditur. Est & S. D. iecoris satis calidi, ob quod multum sanguinis procreat, & ipsum procreatum adaucta illius caliditate in bilem uertit, & ob hoc eius aquositas toti moli permixta, admodum acuta, & mordicans efficitur, quod nobis indicat ipsius urinæ ignea rubedo, & per hoc notatu dignum est epar, S. D. in utraque passiuua qualitate non multum à temperamento excessum obtinere, non enim per humidum, quoniam ex bilis siccitate remittitur, non per siccum, quoniam humidum sanguinis ipsum humectat, sunt & eius renes admodum calidi, tū diffusa ab epate ad ipsos caliditate perlatas uias, tum confluxu sanguinis acuti ad eosdem, & etiā est urinali aquositate ad ipsos renes fluente facta acuta, & mordaci ab humoribus, quibus permiscetur.

Et eius cerebrum calidum pronuntiamus, & humidum: effumante enim iecinoris caliditate, & ipsorum renum, efficitur calidum, & quoniam donata illi caliditate à natura ad ipsum attrahuntur ab infimis corporis partibus non modicæ superfluitates, ideo ultra quod ipsum cerebrum reddunt humidum, & ipsum excrementitium fabricant, & distillationibus totum caput afficiunt. Et etiam S. D. cordis calidi existit, quoniam omnia secundum compositionem Thoracis existentia supra calidam cordis temperaturam indicant, præter hoc, quòd uelocis est motus ad iram, & eius uentriculi facultas lōgè melior existit facultatibus omnium dictorum membrorum, quo fit, ut eius potentia concoctrix uigens sit, & non oblæsa.

Patitur inquam hic Nobilis Dominus cum dictis temperaturis, primo urinæ suppressionem, ad tempus, ubi cū desiderio, & appetitu mittendi urinam, non est immunis à forti, & magno conatu egerendi, & ipse idem ob intensum excernendæ urinæ appetitum, tunc temporis submittitur immisioni siringæ per meatum uirgæ, & tunc exit sanguis solus, & non urina, post uerò per aliquot dies

guttatim



guttatim urina emittitur, demum uero liberiori transitu urina excernitur, Quod si uelimus Galenum sexto de locis affectis, capite tertio, huius ægritudinis nomen Diffuriæ appellabimus. Cum sit urinæ suppressio, cum uoluntate eiiciendi, & eiusdem exitus guttatim ad tempus, & eūdem morbum nuncupat Auicenna. XIX. tertii, & . XVIII. Urinæ difficultatem.

Et huius causam aliqui imaginantur esse multitudinem sanguinis, in epate, & renibus existentem, ob eius complexionem esse satis sanguineam, qui sanguis in aliqua hora ad uesicam præcipitatur, & sui multa quantitate uenas colli uesicæ replens, ipsum inflat. Quo fit, ut tunc prohibeatur uoluntarius urinæ exitus, & propter eandem sanguinis quantitatem uenas illas inflantem aliquando dicunt disrumpi, uel ob siringam immissam, illas tumidas uenas inuenientem, eas dilaniat, & sanguis exit. Nempe hanc causam suppressionis urinæ non acceptat Gale. quarto aphorismorum, commento septuagesimo octauo, ubi ait, in ipsa enim scilicet uesica uenam rumpi ex influentis sanguinis abundantia, quemadmodum in renibus est impossibile, neque enim per eius uenas sanguis percolatur, sed solum tantum, quantum ipsi sufficiens pro alimento contribuitur.

Aliam igitur imaginabor causam, huius urinæ suppressionis cum Galeno primo, de locis affectis ad principium, & cum Auicenna. XIX. tertii, & est obturatio existens in collo uesicæ, quam ob alteram trium causarum ortum habere dixerūt. Aut quoniam uesicæ collum intumescit, & induratur, uel propter cursum humorum crassorum in collo detentorum ipsum tumidum reddentium, quo fit, ut eius urinæ exitus uoluntarius prohibeatur, uel intumescit ob cicatricem causatam in eo ex uulnere præcedente, aliquando enim crescit cicatrix, & in quendam tumorem uertitur, quo collum uesicæ intumescit, & prohibetur uri



næ transitus, altera causa faciens obstructionem in collo  
 uesicæ potest esse, uel uerruca, uel caro superflua, uel por-  
 ri, tertia causa potest esse aliquid transmissum, uel detentum  
 in uia, ut lapis, uel crassus humor, & glutinosus. In hoc au-  
 tem Nobili Domino puto causam suppressionis urinæ  
 esse triplicem. Vnam procatharticam, & est regimen præce-  
 dens in sex rebus non naturalibus, multiplicatiuum hu-  
 morum crassorum facile uias obstruentium. Altera est cau-  
 sa præcedens, & est plenitudo totius corporis ex humori-  
 bus glutinosis, & hæretibus ad uias urinæ ueluti ad locum  
 imbecilliolem declinantibus. Et huic etiam consentit ca-  
 put, à quo distillatione quadam nedum ad uias urinæ, ue-  
 rum & ad inferna totius corporis crassi illi humores ir-  
 ruunt, ibi dyssuriam causantes, hic uero debilitatè, & quan-  
 dam stuporis speciem. Tertia uero causa est, quam conten-  
 tiuam dicunt, & puto esse præsentiam ad tempus humo-  
 ris glutinosi, & crassi, collo uesicæ imbibiti, & secundum  
 quod magis ille humor multiplicatur, causat ad tempus  
 dyssuriam ipsam, & aliam dico cõiunctam adesse causam,  
 uidelicet, cicatricem, quæ ex uulnere occalluit, cum ante u-  
 rinæ suppressionem precesserit mictus sanguinis ex dila-  
 natione facta in uenis colli uesicæ, & corrosione substan-  
 tiæ eius carnosæ ex quadam uiolenta iam capta medicina,  
 ut ait Nobilis patiens, & ob hoc non puto, causam huius  
 morbi in patiente isto esse superfluam carnem adgenera-  
 tam in collo uesicæ, cum longum temporis spatium ple-  
 rumque teneat sine ulla urinæ suppressione, & minus præ-  
 sentiam lapidis.

Patitur ergo Nobilis hic Dominus, continuum urinæ  
 ardorem aliquando clamosum, eo maxime tempore, quo  
 mictus sequitur urinæ suppressionem, aliquando uero re-  
 missum sentit ardorem, eo præsertim tempore, quo libere  
 urinam excernit.

Huius autem ardoris urinæ causam procatharticam pu-



to in nobili patiente fuisse, quæcunque extrinsecus contingētia corpori, humores corporis acuunt, ueluti longū iter, & quodlibet aliud longum exercitium, & inordinatum in tempore calido, & nimius usus rerum calidarum, & acutarum, & falsarum, & nimius potus uini potentis, & usus superflui coitus, & hæc certè omnia puto adfuisse in nobili patiente. Præcedens uerò causa morbi D. S. est præsentia humoris acuti multi, progeniti à nimia epatis caliditate, multiplicatiua sanguinis, & cholerae, & alterius humoris falsi, & nitrosi, continens uerò causa est, urina uitiata ab humore acuto pungitiuo, nullo quidem ulcere existente in collo uessicæ, uel alibi.

Sed ego cum his causis addo aliam, quam puto esse huius morbi causam in isto nobili Domino, quam etiam dixit Auicenna. XIX. tertii tractatu secundo, capite tertio, & est defectus humiditatis glutinosæ præparatæ in carnibus glandulosi colli uessicæ, ipsa enim à natura genita est, ut urinæ illic permeanti permisceatur, ut eam æquet, ne in transitu per collum uessicæ sua caliditate, & nitrositate punget, & ulceret carnosam substantiam colli uessicæ. Vbi igitur defecerit hæc humiditas, urina sic permeans in suo calore acuto, & falsedine non æquabitur, punget autem collum uessicæ, & continuū causabit ardorem, & huius humiditatis defectum efficit nimius coitus, ut dixit Galenus de cimo quarto, de usu partium, & Auicenna, ut supra. Quem usum nimii coitus hic Nobilis patiēs admodum exercuit. In nimio enim coitu propter similitudinem, quam habet humiditas illa glutinosa cum spermate, in spermatis emissionem superflui coitus multum attrahentis, euacuatur humiditas illa, ubi collum uessicæ in sui carne glandulosa, priuatum illa humiditate ab urina, in calore, & nitrositate non æquata, pungitur, & ardore submittitur continuo.

In his autem affectionibus, quibus Nobilis hic Dominus Bernardus non modice corripitur, à nobis salutaria



petit auxilia. Petitioni cuius cum ex debito obtemperare teneamur: fauente deo optimo præsidia afferemus, quibus si D. sua morem gerat, non dubitamus illa, illi admodum fore proficua.

Vtar igitur, ut docuit nos Galenus in libro de partibus artis medicatiuæ, & Auicenna quarta primi uno uel pluribus trium medicinæ instrumentorum. Quorum primum, & nobilius est uictus ratio, ut dixit Galenus in libro experimentorum ad finem.

## CIBVS, ET POTVS.

**I**N urinæ igitur suppressione, sit eius panis ex tota farina confectus. i. quod habet aliquid furfuris, eo enim fit humorum glutinosorum abstersio, & uiarum urinæ apertio, & propter ipsum panem habere aliquid furfuris non cōtradicit etiam ardori urinæ & non sit eius panis salitus, ne urinæ ardor promoueatur, & non sit multum fermentatus, sed parum, quoniam utrique suæ affectioni nocuus est panis admodum fermentatus, & non sit in crustaceis uctus, sed duri cortices amoueantur, & non sit in intimis incoctus, admodum enim in suppressione urinæ hic panis contumax est, & non sit unius diei, ne in uentriculo supernatet, ut dixit Auicenna secundo canone, sed duorum, uel trium dierum, & non amplius.

Vinum in urinæ suppressione uidetur conferre, iuxta illud Hippocrat. septimo aphorismorum stranguriam, & dyssuriam uini potio soluit. In ardore autem urinæ uinum lædere uidetur, ubi Auicenna in potu loco uini commendauit potum lactis acetosi, à quo extractum sit butyrum. Nos autem medium tenentes laudabimus uinum pauciferum medi coloris aqua permixtum. Quòd si Dominatio sua uellet tolerare illi uino aquam hordei permixtam, uel aquam seminum communium maiorum frigidorum.



gidorum. Certè tale esset D. suæ peridoneum. Cauca  
autem D. sua à multo potu uini, & maximè à potu uini,  
cum post cænam uult cubare, sed aquam feminum com-  
munium, uel hordei, cum modico Iuleb uiolati, tunc tem-  
poris bibere poterit.

Euitet autem D. sua cibaria quæcunque sunt difficilis  
concoctionis, & crassi alimenti, & spiritum flatuosum pro-  
gignentia, ut sunt omnia leguminum genera, præter iu-  
sculum cicerum nigrorum, quod utrique suæ dispositioni  
auxilium præstat. Et expertus sum, quod uti sequenti ci-  
bo aliquando de mane plurimum confert in stranguria &  
dysuria, Recip. iusculum cicerum nigrorum, iusculum a-  
sparagorum, cochlearum ana. Vnc.iiii. olei amigdalarum  
dulcium recentis. Vnc.i. & med. zucchari. Vnc.i. misce pro  
una uice. Omnia genera casei cuitare debet, & præsertim  
saliti, quoniam humorem crassum, & pinguem progi-  
gnunt facile inhibentem urinæ exitum, & nedum saliti ca-  
sei id conducunt, uerum falsugine sua urinæ ardorem pro-  
uocant, sicut & omnia ex butyro cibaria id faciunt. Laudo  
tamen D. S. lactis exhibitionē, & maxime cum ab eo extra-  
ctum est butyrum, & hoc dixit Auicenn. XIX. tertii tractatu  
secundo, capite octauo, ubi ait. Et scias, quod lac est res  
magis conueniens eis, cum non est febris, ne igitur no-  
ceat ardori urinæ ab eo extrahatur butyrum, quod faci-  
le aduritur, & acutum progignit humorem, qui in ar-  
dore addit urinæ. Et quæcunque condimenta fiunt  
ex pasta, eadem ratione sunt ei nocua, & ideo caueat  
panem azimum, castanæ, & omnia genera fructuum  
sunt ei contumacia, quoniam sui larga humiditate, &  
debili caliditate, sunt spiritus flatuosi progignentia.  
Et ostendit Auicenna, difficultatem urinæ aliquando,  
habere causam, flatum aliquem. Sunt & fru-  
ctus facile putrescibiles, & quia putredo addit cali-  
ditatem materiæ ex Galeno, in libro de sanguinis  
missione



missione, ideo & ipsi in ardore Urinæ addunt Vbi uero D. S. aliquibus delectaretur fructibus, minus mala sunt pruna damascena, poma dulcia, & pira, præsertim cocta. Caueat à ficibus, & passulis, quoniam aliquid in se acuitatis habent, quo urinæ ardor concreescere posset. Caueat D. S. ab omnibus cibis stipticis ob urinæ suppressionē, etiam omnia tosta, & in patellis frixa cōtumacia sunt D. S. siue oua, siue pisces, siue carnes fuerint. Elixata uerò sibi conuenientiora sunt, & maximè oua in aqua elixata, tremula, & recētia. Oua uerò dura, & diu asseruata sunt ei nocua. Caueat quoque à carne bubula, & suilla, & à carnibus omnium quadrupedum, & uetustorum animalium. Sunt enim mali chimi progignentes horum animalium carnes.

Quæ autem ei conuenientes sunt carnes, est hædina caro, & uituli lactantis, & iuuenis castrati, & cuniculi iuuenis, & ericii, & de auibus sunt perdices, fassiani, pulli gallinarum, capones, turtures, merulæ turdi, francolini, pulli columborum, & omnes Auiculæ in arboribus, uel nemoribus, & in pratis habitantes, ei peridoneæ sunt. Quæ uerò in aquis degunt, ei sunt contumaces, ut anseres, anates, & huiusmodi.

De oleribus uerò tempore quo non tenetur urinæ suppressione, ob ardorem mictus, conuenit malua, lactuca, portulaca, spinachia, & maximè cocta cum extremitatibus uituli, sua enim frigiditate alterant, & æquant superfluam urinæ caliditatem, & humorum commixtorum cum ea, & glutinositate acquisita ab extremitatibus uituli, fit restau ratio humiditatis uiscosæ in carnibus colli uessicæ, defectu cuius, accidit urinæ ardor. Pisces eius sint petrosi de aquis mundis, & de torrentibus, & de libero mari, & non grandiores, & pisces sine squamis, & saliti, sunt D. S. ualde rebelles, & etiam qui sordidas, & lutosas, stantesque aquas inhabitant, excrementicij enim sunt, & malum succum progignentes.



Cibaria enim, quæ admodum diuretica sunt, cum per ea facile irruant materiæ ad vias urinales, sunt ei nocua, eorum tamen usus administrari tunc poterit, cum corpus erit totum bene purgatum, ante uerò conuenient cibaria, quæ urinam leuiter ciunt, ueluti sunt rapæ, & maxime cimæ foliorum raparum, & pastinacæ domesticæ, ac syluestres.

## AER.

**Q**uoniam autem aer de his est, sine quibus neque sanitas teneri potest, neque morbus propelli, ut primo de tuenda sanitate dixit Galenus, & Auicenna secunda primi. Ideo tempore quo D. S. suppressione urinæ tenetur, aer frigidus debet euitari, & quando mingit, uel mingere conatur, non discooperiat sibi pudibunda, ne ad ea multus aer perueniat: ipsa enim aere actualiter frigido, insigne patiuntur nocumentum, ut uoluit Hippocra. quinto aphorismorum, & ut præseruet se à futura urinæ suppressione, fugiat loca ualde frigida, & non deambulet per loca niuosa, neque moram trahat in his, frigidum enim immobiles facit superfluitates nostri corporis per se.

Tempore uerò quo D. S. suppressione urinæ non corripitur, sed continuo ardore urinæ tenetur, tunc aer eius non immunis sit à frigiditate, & propter urinæ suppressionis timorem, non sit admodum frigidus aer, sed propter utrasque eius dispositiones, aer eius potius declinet ad parum frigidum, & humidum aerem, quam ad calidum, & siccum. Et ideo fugiat D. S. moram in sole, & in aere ualde calido & sicco. Caueat quoque ab aere uentoso, & ubi adsit multitudo fumi, & ab aere ex aromatibus facto calido, & sicco, maxime cum solo ardore urinæ, & non suppressione corripitur, in his autem quæ aeri annectuntur intentione habita ad ardorem urinæ, non multis sui corporis



poris cooperimentis utatur die, noctuque, ne illis epar, & renes multum calefiant, & in ardore addatur urinæ. Et lectus super quem dormit, non sit ex plumis, quoniam eius caliditate, & membra, & humores corporis, superfluitatesque calefiunt in ardore addentes. Dormiat quippe non super dorsum, quoniam inflammantur renes, & inde urinæ. Neque supra latus dextrum, quia inflammatur epar. Dormiat igitur super latus sinistrum, & ob urinæ ardorē leuiter moueat se, & reuoluat, ne miētus excitetur frequentius. &c.

### MOTVS, ET QUIES.

**C**Aueat quoque D. S. à nimio exercitio, eo enim humores exacuuntur, & urinæ ardorem commouent, neque nimia utatur quiete, hæc enim facit ad humorum crassitudinem, & glutinositatem, quibus facile uia claudi possunt, & ob hoc urinæ suppressio contingere posset. Sint igitur eius motiones, & quietes non longe à temperamento, conuenienti quoque tempore peractæ, ne illis uirtutes occuparentur in concoquendo. Non fiat igitur exercitium statim uentriculo impleto, sed complemento concoctionis appropinquante. Et ea quippe corpus quieti nō submittatur, quoniam sopiretur uirtus, & concoctio à termino proprio magis longa fieret, ideo tunc moderatè moueatur, ab imbecilli quidem motu inchoando, ipsumque eleuando donec sudor inter duas cutes apparere cœperit, & repente quiescat.

Annectitur autem exercitio coitus, & iubeo D. S. à nimio coitu abstinere, eo enim, ut dixit Auicenna. XIX. tertii & Galenus decimo quarto, de usu partium consumitur humiditas carnis glandulosæ colli uessicæ, cuius defectu, urinæ ardor facilè consequitur, eo etiam ex continuo motu, & fricatione humores, & superfluitates ad uias urinæ attrahuntur, obstructionem in his facile conducentes, &

urinæ



urinæ suppressionem efficientes. & cet.

SOMNVS, ET VIGILIA.

**E**T quoniam à superflua uigilia exacuuntur humores, quibus acutis factis additur in ardore urinæ, ideo caueat D. S. à nimia uigilia, & quia à nimio somno sopitur uirtus concoctrix, ob quod nascuntur in toto corpore pituitosæ superfluitates quæ ad loca urinæ, ut ad debiliores partes in S. D. facile earum uias obstruere possent, & urinæ suppressionem causare, & ob hoc fugiat nimium somnū. Diurno quoque somno non submitatur, quoniam ab eo omnia contingunt nocumenta in affectionibus S. D. præsertim uentriculo impleto, & ob hoc etiam tunc temporis fugiendus est coitus. Reddat igitur D. sua Nobilissimæ Vxori suæ debitum uersus complementum tertiæ concoctionis, quod erit tempus octo horarum post impletum uentriculum.

ACCIDENTIA ANIMI.

**N**on tristetur, neque irascatur D. S. quoniam exacuuntur humores, & inde insurgere potest urinæ ardor, ex his quoque dilaniantur, & fiunt imbecilles facultates omnes totius corporis, ut dixit Gale. iii. artis medicæ, & diminuta concoctione, multiplicari possunt crassæ superfluitates urinæ suppressionem inducentes. Gaudeat igitur, & lætetur modeste cum gaudentibus, & lætantibus. &c.

INANITIO ET REPLETIO.

**D**Eclinet autem D. S. ad latus inanitionis corporis, & subtiliantis dietæ, ut faciebat in cuiusuis morbi curatione Erasistratus, cum enim corpus modeste uacuum tenetur natura non oppressa à multitudine humorum ipsos corriget, & regulabit, ut neque exacuantur, neque crassi, & glutinosi fiant, ob quod non accidet timor de urinæ ardore, & eius suppressione. Teneat igitur D. sua corpus mundum, & euacuatum, usu quippe modesto, uel subtiliante diæta, uel alio quodam modo ut postea dicemus.



Secundum medicationis instrumentum est, medicinarum exhibitio, quod quattuor principalibus intentionibus complebimus, uidelicet, minoratione materiae, digestionem eiusdem, euacuatione, & membrorum corroboratione.

Prima intentio est admodum necessaria, quae duplici ingenio effici potest, uel sanguinis missione, uel purgatione. Consulo igitur in utroque sui morbo, ut quolibet anno aduentante uere, fiat missio sanguinis ex epatica. Est enim tempus idoneum ad haec ut ait Galenus in libro de sanguinis missione, & sequenti die incidatur saphena, iuxta praecipitum Hippocratis septimo aphorismorum, ubi ait, straguriam & dyssuriam phlebotomia soluit, incidere autem oportet eam, quae in talo uenam, scilicet post basilicam, & fiat sanguinis extractio usque ad sex uncias. Laudo deinceps, ut post sanguinis missionem ex epatica in spatio dierum trium fiat haemorrhoidarum apertio, semper clysteri praecedente lenitio. Confert enim haec sanguinis missio, ob illud Hippocratis uerbum, melancholicis, & nefriticis haemorrhoides innatae bonum, post uero consulo, ut eodem tempore ueris, ueluti idoneum, & conueniens D. suae submittatur minorationi materiae pro secundo ingenio cum sequenti pharmaco. Recip. floris cassiae nouiter tractae. Vnc. i. Ellectuarii de dactylis, drach. ii. fiat bolus cum zuccharo haec materiae minoratio est conueniens, iuxta Galenum secundo aphorismorum, commento illius aphorismi. Inchoantibus morbi &c. Et hoc, ut natura exonerata reddatur potentior supra residuum materiae remanentis ad concoquendum, uel resoluendum, uel euacuandum, & consulo D. suam quod a medicinis in forma pillulari, quantum est ei possibile caueat, cum earum ingredientia sint ut plurimum calida, & scamoneata multum oppugnantia epati, & renibus calidis S.D.

Materia igitur minorata, laudo D.S. praeparare materiae  
ad



ad facilem expulsionem, ubi septem diebus continuis in diluculo, capiat sequentem syrupum, calidum pro secunda intentione principali.

Recip. syrupi de glyciriza, syrupi uiolati, syrupi de duabus radicibus, syrupi de endiuia, ana. Vnc. med. aquarum sem. communium frigidorum, dulcis radicis, adianti, ana. Vnc. i. misce. Octaua uerò die per horam ante lucem, & apparentibus signis digestionis D. sua capiat infrascriptam medicinam, & hoc pro tertia intentione. Recip. floris cassiæ nouiter tractæ. drach. vi. Mannæ electæ. Vnc. med. confectionis hamec. drach. ii. & med. misce, & fiat potus, cum decoctione communi pectorali. Quòd si potio sit D. suæ abhominabilis, eandem capiat in bolo, uel capiat infrascriptas pillulas, ubi cum medicinis in alia forma purgari nõ ferat. Recip. pillularum aggregatiuarum scropul. ii. pillularum sine quibus, drach. med. misce, cum syrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Capta uerò medicina per quattuor dies cõtinuos apud auroram iubeo D. S. capere infrascriptum potum. Recip. aquæ sem. communium frigidorum, aquæ adianti, aquæ maluæ. ana. Vnc. i. iuleb uiolati. Vnc. i. misce pro una uice. Quinta uerò die capiat per horam ante prandium sequentem bolum. Recip. floris cassiæ nouiter tractæ. drach. x. pulueris glycirizæ drach. ii. misce, & fiat bolus. Demum laudo ut in eodem tempore ueris, in diluculo, uel orto iam sole capiat die quolibet per quindecim dies continuos, Vnc. vi lactis caprini recenter mulcti calidi propria caliditate, uel ouini, cum modico zucchari, & quiescat supra ipsum in lecto per duas horas, & non dormiat, neque exercitetur.

Deinceps per totum tempus æstatis, consulo, ut obseruantiam hanc D. S. habeat, quòd bis in septimana capiat per mediam horam ante prandium unciam mediam floris cassiæ recenter extractæ, inter enim omnia medicamenta, nullum inuenitur maius cõducens præsidium in utraq;



affectione D. S. quam cassia.

Aduentante uerò autumno consulo D.S. iterato purgari debere, eadem, qua & tempore ueris purgatione, postquam purgationem iubeo D. suam duodecim diebus continuis in aurora capere. Vnc. viii. sequentis potionis cum zuccharo. Recip. cicerum rubeorum, granorum halicacabi ana. M. i. foliorum maluæ cum radicibus rad. altheæ, an. M. med. dulcis radicis mundæ, Vnc. med. ziziphorum, sebestenana. numero. xv. sem. melonum mundatorum. Vnc. i. asplenii, agrimonix ana. Vnc. med. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ, usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & colatura usui seruetur.

His enim omnibus in temporibus prædictis, nedum urinæ ardor tolletur, uerum & à futura urinæ suppressione D. S. præseruabitur. Verum ultra hæc consulo, ut plerumque in mense in præseruatione, à futura suppressione urinæ per duas horas ante cibum mane & uesperis utatur quantitate. drach. iii. pro uice sequentis mixtionis. Recip. succi altheæ depurati, succi radicum raparum, succi radicum graminis ana. lib. i. pulueris glycirizæ, agrimonix siccæ, asplenii sicci, florum sparthii siccorum, ana. Vnc. iii. granorum halicacabi, Vnc. i. sem. apii. Dauci petroselini, rubiæ tinctorum, sabinæ, ana. drach. ii. sem. melonū mundatorum, amigdalorum amararum excorticatarum, ana. Vnc. i. omnia terenda subtiliter terantur, & contundenda contundantur, & cum succis misceantur, & lento igne bulliant, usque ad consumptionem medietatis succorum, deinde cum zuccharo quan. suffic. fiat electuarium.

Consulo quoque in præseruatione à suppressione urinæ bis in mense D. S. sedere mane, & stomacho ieiuno in sequenti balneo per mediam horam. Recip. foliorum caulium, foliorum, uel radicum maluæ, radicum altheæ, granorum halicacabi, saxifragiæ, agrimonix, radicum raparum, radicum raphani, ana. M. i. carui, dauci, apii, sceniculi, rubiæ tinctorum



tinctorum, ana. M. med. bulliant in suff. quan. aquæ, ad consumptionem tertiæ partis, & colentur, & colatura usui seruetur, & nota quòd in actuali suppressione urinæ, dictum balneum est admodum utile, si post exitum à balneo, repete capiat sequentem bolus. Recip. Terebintinæ lotæ cum aqua althææ Vnc. med. carnium sebesten. drach. ii. pulueris asplenii, drach. med. misce, & fiat bolus.

Vbi uerò actu D. sua teneretur urinæ suppressione cum conamine, dolore, & appetitu mingendi, hæc obseruet præsidia. Primo inquàm fiat sequens clystere. Recip. olei amigdalorum dulcium, olei amigdalorum amararum ana. Vnc. iiii. succi althææ drach. iii. butyri recentis drach. iii. terebintinæ drach. vi. uitelli oui nume. i. zuchhari rubei. Vnc. i. sine sale, & misce, & fiat clystere calidum, & statim supra aluum iaceat, & facto clysteri, & purgato per illud uentre, immediate capiat sequentem bolus. Recip. floris cassiæ nouiter tractæ, Vnc. i. carnium sebesten. unc. i. pulueris glycirizæ drach. i. misce, & fiat bolus. Post euacuationem à bolo prædicto. Consulo, quod fomentatio sequens cum filtro apponatur pluries pectini D. S. & loco medio inter anum & testiculos. Recip. succi althææ, olei scorpionum, ana. libr. med. butyri recentis Vnc. iiii. terebintinæ. Vnc. viii. croci, drach. med. misce, & calida applicetur. Vbi uerò non mingeret, se deat D. sua in balneo sequenti pluries in die, & in exitu bis tantum in die capiat sequentem potum. Potus est, Recip. succi limonis immaturi. Vnc. i. aquæ florum sparthii. Vnc. ii. misce. Balneum est. Recip. foliorum caulium, uiolæ purpureæ, foliorum maluæ cum radicibus, radicum althææ, fœnigreci, carthami, cardamomi, misce. Bulliant ad consumptionem tertiæ partis. Vbi uerò non haberetur. succus limonis prædictus, laudo, quod dum patiens est in balneo, capiat sequentem potum. Recip. pulueris corticum melonum excorticatarum. dra. iii. aquæ sparthii, Vnc. iiii. misce, & statim minget, si deo placuerit.

Vbi



Vbi uero hæc non contulerint, laudo, quòd stomacho ieiuno D. S. capiat sequentem mixturam. Recip. balsami, scropul. med. succi limonis immaturi. Vnc. i. aquæ sparthii. Vnc. i. & med. misce. &c.

Vltimo pro præseruatione à suppressione urinæ, & confortatione membrorum urinalium, & dissolutione humorum obstruentium uias urinæ. Laudo primo, ut D. sua conetur tribus annis continuis habere, & facere deferre ad domum suam, aquam balnei de aquario, quod est in comitatu Regii in longobardia, & uellem D. suam prædictâ aquam potare, eo præcisè modo, quo præsentis anno M. D. XXXIX. potauit aquam balnei apponensis in comitatu Patauino, his obseruatis etiam ex parte dietæ, & certè scio ex ista aqua D. S. & præseruari, & curari, dei auxilio.

Secundo laudo tanquàm remedium sublime, quod D. S. bis in septimana mandat scropu. ii. reubarbari optimi, & immediate supra ipsum potet. Vnc. ii. aquæ uiolarum.

Item tertio. Laudo quòd omni septimana bis ante cænam capiat unam de infra scriptis pillulis. Recip. spicæ celticæ, sem. cucurbitæ, lacca, rubiæ tinctorum ana. drach. iii. terantur subtiliter, & cum succo napii fiat pasta pillularum, Dosis est pillula. i. scropul. i.

Laudo quarto si D. S. utile præsidium cœperit, quemadmodum sperat ex balneis apponensibus à nobis S. D. adhibitis præsentis anno & in potu, & in ducia, si S. D. expedientius uideatur, quàm domi potare aquam de aquario, hæc apponensia balnea iterum aggrediatur ad plus in spatio annorum duorum sequentium, cum dei auxilio. Amen.

**Benedictus Victorius Fauentinus cum in Gymnasio Patauino Medicinæ Theoricam profiteretur hæc dixit.**



## IN SUPPRESSIONE, ET ARDORE

urinæ inter mingendum,

Pro Nobili Domino Ladislao

Cesinati,

## Consilium XXXI.



**N**obilis, & Magnus Dominus Ladislaus cum sui temperatura cholericæ, & hepatis caliditate iuncta siccitati, & Renum calidiorum, atque cerebri calidi, & humidi, corripitur suppressione urinæ ad tempus cum desiderio, & appetitu, conatuque tunc temporis egerendi.

Patitur quoque Nobilis hic Dominus continuum urinæ ardorem, aliquando clamorose, eo maxime tempore, quo mictus sequitur urinæ suppressionem, aliquando vero remissum sentit ardorem, eo præsertim tempore, quo libere urinam excernit.

Huius autem ardoris urinæ causam procatharticam puto in nobili Patientè fuisse, quæcunque extrinsecus contingit corpori, humores corporis acuunt, ueluti longa itineratio, & quodlibet aliud longum exercitium, & inordinatum in tempore calido, & nimius usus rerum calidarum, & acutarum, & farsarum, & nimius potus uini potentis, & usus superflui coitus, & hæc certè omnia puto affuisse in nobili patiente. Præcedens uero causa morbi D. S. est præsentia humoris acuti multi, progeniti à nimia hepatis caliditate multiplicatiua sanguinis, cholerae, & alterius humoris falsi, & baurachialis. Contentiua uero causa est urina uitiata ab humore acuto pungitio, nullo quidem ulcere existente in collo uessicæ, uel alibi.

Sed ego



## C O N S I L I V M

Sed ego cum his causis addo aliam, quam puto esse huius morbi causam in isto Nobili Domino, quam etiam dixit Auicenna. XIX. tertii, tractatu secundo, capite tertio, & est defectus humiditatis glutinosæ præparatæ in carnibus glandulosi colli uessicæ, ipsa enim à natura genita est, ut urinæ illic permeanti permisceatur, ut eam æquet, nec in transitu per collum, uessicæ sua caliditate, & nitrositate purgat, & ulceret carnosam substantiam colli uessicæ. Vbi igitur defecerit ista humiditas, urina sic permeans in suo calore acuto, & falsedine non æquabitur, punget autem collum uessicæ, & continuum causabit ardorem, & huius humiditatis defectum causat nimius coitus, ut dixit Galenus decimo quarto de usu partium, & Auicenna ut supra. Quem usum nimii coitus hic Nobilis patiens admodum exercuit. In nimio enim coitu propter similitudinem, quam habet humiditas illa glutinosa cum spermate, in spermatis emissionem superflui coitus multum attrahentis euacuetur humiditas illa, ubi collum uessicæ in sui carne glandulosa priuatum illa humiditate, ab urina in calore, & nitrositate non æquata pungitur, & ardori submittitur.

In his autem affectionibus, quibus Dominus Ladislaus corripitur, à nobis salutaria petit auxilia, petitioni cuius cum ex debito obtemperare teneamur, fauente Deo optimo præsidia afferemus. Quibus si D. S. morem gerat, non dubitamus illa illi admodum fore proficua.

Vtar igitur, ut docuit nos Galenus, in libro de partibus artis medicatiuæ, & Auicenna quarta primi uno, uel pluribus trium medicinæ instrumentorum. Quorum primū, & nobilius est uictus ratio, ut Dixit Galenus in libro experimentorum ad finem.

## CIBVS, ET POTVS.

**I**N urinæ igitur suppressione, sit eius panis ex tota farina



na confectus. i. quod habeat aliquid furfuris, eo enim fit humorum glutinosorum absterfio, & uiarum urinæ apertio, & propter ipsum panem habere aliquid furfuris non contradicit etiam ardori urinæ, & non sit eius panis salitus, ne urinæ ardor promoueatur, & non sit nimium fermentatus, sed parum, quoniam utrique suæ affectioni nocuus est panis admodum fermentatus, & non sit in crustaceis ustus, sed duræ cortices amoueantur, & non sit in intimis incotus, admodum enim in suppressione urinæ hic panis contumax est, & non sit unius diei, ne in uentriculo supernatet, ut dixit Auicenna, secundo canone, sed duorum uel trium dierum, & non plus.

Vinum in suppressione urinæ uidetur conferre, iuxta, illud Hippocrat. septimo aphorismorum stranguriam, & dysuriam uini potio soluit. In ardore uero urinæ uinum inimicari uidetur, ubi Auicenna in potu loco uini commendauit, potum lactis acetosi, à quo extractū sit butyrū, nos autē mediū tenētes laudabimus uinū pauciferū mediū coloris aqua permixtū. Quòd si D.S. uellet tollerare illi uino aquā hordei permixtā, uel aquā sem. comunium maiorum frigidorum, certè tale esset D. S. uinū peridoneū. Caueat autē D.S. à multo potu uini, & maximè à potu uini cū post cenā uoluerit cubare, sed aquā sem. comunium, uel hordei cū modico iuleb uiolati tūc tēporis bibere poterit.

Euitet at D.S. cibaria quæcūq; sunt difficilis cōcoctionis, & crassi alimēti, & spiritū flatuosum progignētia, & sunt omnia leguminū genera, præter iusculū cicerū nigrorum, quod utiq; suæ dispositioni auxilium præstat, & expertus sum, quod uti sequēti cibo aliquando de mane plurimum confert in stranguria, & dysuria. Recip. iusculū cicerum nigrorum iusculū sparagorum limaciarum an. vnc. iiii. olei amigdarū dulcium recētis vnc. i. & med. zucchari. vnc. i. misce pro una uice. Omnia genera casei euitare debet, & præsertim saliti, qm̄ hūorē crassū, & pingue progignūt fa-



C O N S I L I V M

cile difficultantem urinæ exitum, & nedum saliti casei id conducunt, uerum falsugine sua urinæ ardorem prouocant, sicut, & omnia butyrofa cibaria id faciunt. Laudo tamen D. S. lactis exhibitionem, & maximè cum ab eo extractum est butyrum, & hoc dixit Auicenna. XIX. tertii tractatu secundo, capite octauo, ubi ait, & scias, quod lac est res magis conueniens eis, cum non est febris, ne igitur noceat ardori urinæ, ab eo extrahatur butyrum, quod facile adurit, & acutum progignit humorem, qui in ardore additur urinæ & quæcunque cõdimenta fiunt ex pasta, eadem ratione sunt ei nocua, & ideo caueat panem azimum. Castaneæ & omnia genera fructuum sunt ei contumacia, quoniam sui larga humiditate, & debili caliditate, sunt spiritus flatuosi progignentia, & ostendit Auicenna difficultatem urinæ aliquando habere causam, uentositatem. Sunt & fructus facile putrescibiles, & quia putredo addit caliditatem materiæ ex Galeno, in libro de sanguinis missione, ideo, & ipsi in ardore urinæ addunt. Vbi uerò D. S. aliquibus delectaretur fructibus minus mala sunt, pruna damascena, poma dulcia, & pira præsertim cocta, caueat à ficibus & passulis, quoniam aliquid in se acuitatis habet, quo urinæ ardor concreescere posset, caueat D. S. ab omnibus cibariis stipticis ob urinæ suppressionem, ideo omnia tosta, & in patellis frixa contumacia sunt D. S. siue oua, siue pisces, siue carnes fuerint, Elixata uerò sibi conuenientia sunt, & maxime oua in aqua elixata, tremula, & recentia, oua uerò dura, & diu asseruata sunt nocua. Caueat quoque à carne bubula, & suilla, & à carnibus omnium quadrupedum, & uetustorum animalium. Sunt enim mali chimi progignentes horum animalium carnes.

Quæ autem sunt ei conuenientes carnes, est hædina caro, & uituli lactantis, & iuuenis castrati, & cuniculi iuuenis, & ericii, & de Auibus sunt perdices, fasiani, pulli gallinarum, capones, turtures, merulæ, turdi, frigellæ, pulli colūborum,



borum, & omnes auiculæ in arboribus, uel nemoribus & in pratis habitantes, ei peridoneæ sunt. Quæ uerò in aquis degūt, ei sunt cōtumaces, ut anseres anates, & huiusmodi.

De oleribus uerò tempore quo non tenetur urinæ suppressione, ob ardorem mictus conuenit, malua, lactuca, portulaca, spinachia, & maximè cocta cum extremitatibus uituli, sua enim frigiditate, alterant, & æquant superfluum urinæ caliditatem, & humorum commixtorum cum ea, & glutinositate acquisita ab extremitatibus uituli fit restauratio humiditatis uiscosæ in carnibus colli uessicæ: defectu cuius accidit urinæ ardor, pisces eius sunt petrosi de aquis mundis, & de torrentibus, & de libero mari, & non grandiores, & pisces sine squammis, & saliti sunt D. S. ualde rebelles, & etiam, qui sordidas, & lutosas, stantesque aquas inhabitant, excrementicii enim sunt, & malum succum progignentes.

Cibaria enim, quæ admodum diuretica sunt, cum per ea facile irruant materiæ ad uias urinales, sunt ei nocua, eorum tamen usus administrari tunc poterit, cum corpus erit benè purgatum totum, ante uerò conueniunt cibaria, quæ urinam leuiter ciunt ueluti sunt rapæ, & maxime cimæ foliorū raparum, & pastinacæ domesticæ, & syluestres.

## A E R.

**Q**uoniam autem aer est de his, sine quibus neque sanitas teneri potest, neque morbus propelli, ut primo de tuenda sanitate, dixit Galenus, & Auicenna secunda primi. Tempore igitur quo D. S. suppressione urinæ tenetur, aer frigidus debet euitari, & quando mingit, uel mingere conatur, non discoperiat sibi pudibunda, ne ad ea multus aer perueniat, ipsa enim aere actualiter frigido insigne patiuntur nocumentum, ut uoluit Hippocrat. quinto aphorismorum, & ut præseruet se à futura urinæ



suppressione, fugiat loca ualde frigida, & non deambulet per loca niuosa, neque moram trahat in his, frigidum enim immobiles facit superfluitates nostri corporis per se.

Tempore uero quo D. S. suppressione non corripitur, sed continuo ardore urinæ tenetur, tunc aer eius non immunis sit a frigiditate, & propter urinæ suppressionis timorem, non sit admodum frigidus aer, sed propter utraque eius dispositiones, aer eius potius declinet ad parum frigidum, & humidum aerem, quam ad calidum & siccum, & ideo fugiat D. S. moram in sole, & in aere ualde calido, & sicco. Caueat quoque ab aere uentoso, & ubi adsit multitudo fumi, & ab aere ex aromatibus facto calido, & sicco, maxime cum solo ardore urinæ, & non suppressione corripitur. In his autem, quæ aeri annectuntur, intentione habita ad ardorem urinæ, non multis sui corporis cooperimentis utatur die, noctuque, ne illis epar, & renes multum calefiant, & in ardore addatur urinæ, & lectus super quem dormit, non sit ex plumis, quoniam eius caliditate, & membra, & humores corporis, superfluitatesque calefiunt in ardore addentes, dormiat quippe non supra dorsum, quoniam inflammantur renes, & inde urina, neque supra latus dextrum, quia inflammatur epar. Dormiat igitur super latus sinistrum, & ob urinæ ardorem leuiter moueat se, & reuoluat, ne mictus excitetur frequentius &c.

## MOTVS, ET QUIES.

Caueat quoque D. S. à nimio exercitio, etenim humores corporis exacuuntur, & urinæ ardorem commouent, neque nimia utatur quiete, hæc enim facit ad humorum crassitudinem, & glutinositatem, quibus facile uia clauduntur & ob hoc urinæ suppressio contingere posset. Sint igitur eius motiones, & quietes, non longè à temperamento, cōuenienti quoque tempore peractæ ne illis uirtutes occuparentur, in concoquendo, non fiat igitur exercitium statim uentriculo impleto, sed complemento con-



coctionis appropinquante, & in ea quippe corpus quieti nō submittatur, qm̄ sopiretur uirtus, & concoctio à termino pprio magis lōga fieret, ideo tūc moderatē moueatur, ab imbecilli quidē motu inchoato, ipsūq; eleuādo donec sudor, inter duas cūtes apparere ceperit, & repēte quiescat.

Annectitur autem exercitio coitus, & iubeo D. S. à nimio coitu abstineri, eo enim, ut dixit Auicenna. XIX. tertii & Galenus decimo quarto de usu partium, cōsumitur humiditas carnis glandosæ colli uessicæ, cuius defectu urinæ ardor facile consequitur, eo enim ex continuo motu, & fricatione humores, & superfluitates ad uias urinæ attrahuntur, obstructionem in his facile conducentes, & urinæ suppressionem efficientes. & cet.

### SOMNVS, ET VIGILIA.

**E**T quoniam à superflua uigilia exacuuntur humores, quibus acutis factis additur in ardore urinæ, ideo caueat D. S. à nimia uigilia, & quia à nimio somno sopitur uirtus concoctrix, ob quod nascuntur in toto corpore pituitosæ superfluitates quæ ad loca urinæ, ut ad debiliores partes in s. D. facile earum uias obstruere possent, & urinæ suppressionem causare, & ob hoc fugiat nimium somnū. Diurno quoque somno non submittatur, quoniam ab eo omnia contingunt nocumenta in affectionibus S. D. præsertim uentriculo impleto, & ob hoc etiam tunc temporis fugiendus est coitus. Reddat igitur D. sua Nobilissimæ Vxori suæ debitum uersus cōplementū tertiæ concoctionis, quod erit tēpus octo horarū post impletū uētriculū.

### ACCIDENTIA ANIMI.

**N**on tristetur, neque irascatur D. S. quoniam exacuuntur humores, & inde insurgere potest urinæ ardor, ex his quoq; dilaniantur, & fiunt imbecilles facultates omnes totius corporis, ut dixit Gale. iii. artis medicæ, & diminuta concoctione, multiplicari possunt crassæ superfluitates urinæ suppressionem inducentes. Gaudeat igitur, & lætetur



& lætetur moderate, cum gaudentibus & lætantibus, &c.

### INANITIO, ET REPLETIO.

**D**Eclinet autem D. S. ad latus inanitionis corporis, & subtiliantis diætæ, ut faciebat in cuiusvis membri curatione, Erasistratus. Cum enim corpus modeste uacuum tenetur natura non oppressa à multitudine humorum, ipsos corriget, & regulabit, ut neque exacuantur, neque crassif, & glutinosifiant, ob quod non accidet timor de urinæ ardore, & eius suppressione. Teneat igitur D. S. corpus mundum, & euacuatum usu quippe modesto, uel subtiliante diætâ, uel alio quodam modo, ut postea dicemus.

Secundum medicationis instrumentum est, medicinarum exhibitio. Quòd quattuor principalibus intentionibus complebimus, uidelicet minoratione materiæ, digestionem eiusdem, euacuatione, & membrorum confortatione.

Prima intentio est admodum necessaria, quæ duplici ingenio effici potest, uel sanguinis missione, uel pharmacia. Confulo igitur in utroque sui morbo, ut quolibet anno aduentante uere fiat missio sanguinis ex epatica, est enim tempus idoneum ad hoc, ut ait Galenus in libro, de sanguinis missione, & sequenti die incidatur saphena, iuxta præceptum Hippocratis septimo aphorismorum, ubi ait, straguriam, & dyssuriam phlebotomia dissoluit, incidere autem oportet eam, quæ in talo .i. uenam post basilicam, & fiat sanguinis extractio usque ad sex uncias, laudo deinceps, ut post sanguinis missionem ex epatica in spatio dierum trium fiat hæmorrhoidarum apertio semper clystere præ existente lenitiuo. Confert enim hæc sanguinis missio ob illud Hippocr. uerbum. Melancholicis, & nefreticis hæmorrhoides innate bonum. Post uerò confulo, quòd eodem tempore ueris ueluti idoneum, & conueniens D. S. submitatur



submitatur minorationi materiae pro secundo ingenio,  
cum sequenti pharmaco.

Recip. floris cassiae nouiter tractae. Vnc. i. electuarii, de  
daetilis drach. ii. fiat bolus cum zuccharo, Hæc materiei mi  
noratio est conueniens, iuxta Galenum secundo aphorif  
morum commento illius aphorismi, inchoantibus mor  
bis &c. & hoc, ut natura exonerata reddatur potentior su  
per residuum materiae remanentis ad concoquendum, uel  
resoluendum, uel euacuandum. Et consulo D. S. quod à  
medicinis in forma pillulari quantum est ei possibile ca  
ueat, cum earum ingredientia sint ut plurimum calida &  
scamoneata, multum oppugnantia epati, & renibus cali  
dis D. S. Materia igitur minorata laudo D. S. præparare  
materiam ad facilem expulsionem, ubi septem diebus con  
tinuis in diluculo capiat sequentem syrupum calidum pro  
secunda intentione principali, Recip. syrupi de liquiritia,  
syrupi uiolati, syrupi de duabus radic. syrupi de endiuia.  
ana. Vnc. med. Aquarum sem. communium frigidorum,  
liquiritiae, capillorum ueneris ana. Vnc. i. misce. Octauo ue  
rò die per horam ante lucem capiat infra scriptam medici  
nam, & hoc pro tertia intentione. Recip. floridae cassiae no  
uiter tractae. drach. vi. Mannae electae. Vnc. med. confectio  
nis hamech. drach. ii. & med. misce, & fiat potus, cum deco  
ctione communi pectorali. Quòd si potio D. S. sit abho  
minabilis eandem capiat in bolo, capta uerò medicina  
per quattuor dies continuos, apud auroram, iubeo D. S.  
capere infra scriptum potum, Recip. aquae seminum com  
munium frigidorum, aquae capillorum ueneris, aquae mal  
uæ ana. Vnc. i. iuleb uiolati. Vnc. i. misce pro una uice. Quin  
ta uerò die capiat per horam ante prandium sequentem  
bolum. Recip. floris cassiae nouiter tractae. drach. x. pulue  
ris liquiritiae. drach. ii. misce, & fiat bolus. &c.

Demum laudo, ut in eodem tempore ueris in diluculo  
uel orto iam sole, capiat die quolibet per quindecim dies  
continuos



C O N S I L I V M

continuos, Vnc. VI. lactis caprini recenter mulcti, calidi propria caliditate, uel ouini, cum modico zuccharo, & quiescat super ipsum in lecto per duas horas, & non dormiat, neque exerciteur.

Deinceps per totum tempus æstatis, consulo, ut obseruantiam hanc D. S. habeat, quod bis in septimana capiat per mediam horam ante prandium, floris cassiæ nouiter tractæ. Vnc. med. inter enim omnia medicamenta nullum inuenitur maius conducens præsidium D. S. in utraque affectione quam cassia.

Adueniente uero autumno consulo D. S. iterato purgari debere, eadem, qua & tempore ueris purgatione, postquam purgationem iubeo D. suam duodecim diebus continuis in aurora capere. Vnc. viii. sequentis potionis cum zuccharo. Recip. cicerum rubeorum, granorum halicacabiana. M. I. foliorum maluæ cum radicibus rad. altheæ, an. M. med. liquiriciæ mundæ, Vnc. med. iuiubarum, sebesten. ana. numero. xv. seminũ melonum mundatorum. Vnc. i. asplenii, agrimonix. ana. Vnc. med. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ, usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & colatura usui seruetur.

His omnibus in temporibus prædictis, nedum urinæ ardor tolletur, uerum & à futura urinæ suppressione D. S. præseruabitur. Verum ultra hæc consulo, ut plerumq; in mense in præseruatione, à futura suppressione urinæ per duas horas ante cibum mane & uesperis utatur quantitate. drach. iiii. pro uice sequentis mixtionis. Recip. succi altheæ depurati, succi radicum raparum, succi radicum graminis, asplenii sicci, florum sparthii siccorum, ana. Vnc. iiii. granorum halicacabi, Vnc. i. sem. apii. Dauci petroselini, rubiæ tinctorum, sauinæ, ana. drach. ii. sem. melonum mundatorum, amigdalorum amararum excorticatarum, an. Vnc. i. omnia terenda subtiliter terantur, & conterenda deinde conterantur, & cum succis misceantur, & lento igne bulliant,



bulliant, usque ad consumptionem medietatis succorum, deinde cum zuccharo quan. suffic. fiat ellectuarium.

Consulo quoque in præseruatione à suppressione urinæ bis in mense D. S. sedere mane, & stomacho ieiuno in sequenti balneo per mediam horam. Recip. foliorum caulium, foliorum, uel radicum maluæ, radicum altheæ, granorum halicacabi, saxifragiæ, agrimonix, radicum raparum, radicum raphani, ana. M. I. carui, dauci, apii, fœniculi, rubiæ tinctorum, ana. M. med. bulliant in suff. quan. aquæ, ad consumptionem tertiæ partis, & colentur, & colatura usui seruetur, & nota quòd in actuali suppressione urinæ, dictum balneum est admodum utile, si post exitum à balneo, repente capiat sequentem bolum. Recip. Terebintinæ lotæ cum aqua altheæ Vnc. med. carniū sebesten. drach. ii. pulueris asplenii, drach. med. misce, & fiat bolus.

Vbi uerò actu D. sua teneretur urinæ suppressione cum conamine, dolore, & appetitu mingendi, hæc obseruet præsidia. Primo inquàm fiat sequens clystere. Recip. olei amigdalorum dulcium, olei amigdalorum amararum ana. Vnc. iiii. succi altheæ Vnc. iii. butyri recentis Vnc. iii. terebintinæ drac. vi. uitelli oui nume. i. zucchari rubei. Vnc. i. sine sale, & misce, & fiat clystereū calidum, & statim supra aluum iaceat, & facto clysteri, & purgato per illud uentre, immediate capiat sequentem bolum. Recip. floris cassiæ nouiter tractæ, vnc. i. carniū sebesten. Vnc. med. pulueris liquiritiæ, drach. i. misce, & fiat bolus. Post euacuationem à bolo prædicto. Consulo, quod fomentatio sequens cum filtro apponatur pectini D. S. & loco medio inter anum & testiculos. Recip. succi altheæ, olei scorpionum, ana. libr. med. butyri recentis Vnc. iiii. terebintinæ. Vnc. viii. croci, drach. med. misce, & calida applicetur. Vbi uerò non mingeret, se deat D. sua in balneo sequenti pluries in die, & in exitu bis tantum in die capiat sequentem potum. Potus est, Recip. succi limonis immaturi. vnc. i. aquæ florum genestræ. Vnc.

TTT

ii. misce,



C O N S I L I V M

ii. misce. Balneum est. Recip. foliorum caulium, uiolariæ, foliorum maluæ cum radicibus. Radicum altheæ, fenugreci, carthami, cardamomi, ana manipulum unum misce, & bulliant, ad consumptionem tertiæ partis. Vbi uerò non haberetur succus limonis prædictus, laudo, quod dum patiens est in balneo, capiat sequentem potum. Recip. pulueris corticum melonis exsiccatorum, drach. iii. aquæ genestæ. Vnc. iiii. misce, & statim minget, si Deo placuerit. Vbi uerò hæc non contulerint, laudo, quod stomacho ieiuno, capiat sequentem mixturam. Recip. balsami scropu. med. succi limonis immaturi. vnc. i. aquæ genestæ. vnc. i. & med. misce, & ubi hoc non contulerit potet sequentem potum & statim minget Recip. uini maluatici. Vnc. ii. uitrioli romani drach. ii. misce.

Vltimo pro præseruatione à suppressione urinæ, & confortatione membrorum urinalium, & dissolutione humorum obstruentium uias urinæ, laudo primo ut D. S. ingeniatur tribus annis continuis habere, & facere deferre ad domum suam, aquam balnei de aquario, quod est in comitatu Regii, in Lombardia, & uellem D. S. aquam prædictã potare eo modo, quo alii consueti sunt ipsam bibere cum diæta obseruanda in tali potu suprædictæ aquæ, quem modum potandi aquam dictam, cum fuerit opportunum, & expediens S. D. significabo.

Et post potum istius aquæ per duodecim dies consulo, ut bibat aquam de brandula quæ est in comitatu carpensi, sicut & ego modum bibendi hanc aquam, illi denuntiabo si fuerit expediens.

Secundo laudo tanquàm remedium sublime, quod D. S. bis in septimana mastiget, scropul. ii. Reubarbari optimi, & immediate supra ipsum potet. Vnc. ii. aquæ uio- larum.

Item laudo, quod omni septimana bis ante canam capiat unam de infra scriptis pillulis. Recip. spicæ celticæ, se-  
minum



minum cucurbitæ, lacca, rubea tinctorum ana, drachm. iiii, puluerizentur subtiliter, & cum succo napi fiat pasta pillularum, dosis est, pillula unius scrop.

Consulo quoque, ut bis in septimana tempore hyemali, capiat sequentem bolnm, & ieiunet per quinque horas mane stomacho ieiuno.

Recip. Iustini optimi drach. i. & med. litontrijos. drach. i. zuchari uiolati drach. ii. misce, & fiat bolus.

Iterum consulo, ut aduentante uere, post dimidium martii, uel per totum Aprilis, per quindecim dies continuos capiat apud diluculum sequentem potum.

Recip. succi plantaginis. Vnc. ii. seri caprini. Vnc. v. zuchari optimi, drach. ii. misce, & fiat potus, aduertat tamen patiens, ut immediatè ante potum istum, capiat unam de infra scriptis pillulis.

Recip. Trociscorum de halicacabo, drach. i. puluerizentur subtiliter, & cum syrupo de duabus radicibus, fiant pillulæ numero. iiii. quibus finitis, iterum reformentur donec finierit potum prædictum, sic D. s. procedat. Laudo quoque, ut cum syringa iniiciat sequentem puluerem usque ad collum uessicæ dissolutum in lacte ouino, uel in sero caprino.

Recip. Tutia præparata, drach. ii. non totam iniiciat, sed quantum expedit pro una uice. Vel dissoluat quantitatem modicam illius pulueris cum mucilagine semi. maluæ, uel psilii, uel citoniorum, uel cum oleo semi. papaueris albi.

Consulo quoque, ut sæpissimè inungat sibi Renes, & inter anum, & testiculos, & totum canale uirgæ cum sequenti unguento, minus quàm tepido.

Recip. Mucilagin. seminum altheæ, Mucilagin. seminum psilii, Mucilagin. seminum citoniorum, ana, Vnc. mcd. succi solani, succi plantaginis, succi semperuiui, ana Vnc. i. olei mirthini, olei uiolati, an. Vnc. med. sandalorum

TTT ii alborum



C O N S I L I V M

alborum, & rubeorum, subtiliter puluerizatorum an. dra. i.  
ceræ albæ quantum sufficit, & fiat unguentum molle. Et  
hæc sufficiant ad laudem Dei. &c.

Hæc dixit

**Benedictus Victorius Fauentinus in Academia  
Bononiensi primus ex ordine theori-  
cæ medicinæ professorum.**



**AD VARIA AFFECTIONVM GENERA,**

præsertim hæmorrhoidum,

**Pro Magnifico Comite Alexandro Porto,**

**Nobili Vicentino ac equi-  
te aurato.**

**Consilium**

**XXXII.**



**N**Empe Vir Magnifice. Cum de his, quibus  
affectus es morbis, sermonem habuimus,  
mihi sæpe numero hos excogitanti, ad duo  
primam mei conduxì mentem, tui quippe  
corporis ruinam minantia, unum sanè est,  
hæmorrhoides dolorosæ insigniter, & an-  
chis, & dorso dolorem cõsentientes. Quippe & dorsi lacer-  
torum superioribus humerorum lacertis concatenatione  
ad eos, dolor sensim inualefcit, porro & anchorum lacertis,  
his, qui coxis hærent, consentientibus, coxendicum du-  
cunt dolorem, quo fit, ut circulus, & ei proxima membra  
pondere



pondere grauitentur insigni. Quippe & appetentia cadit, & sitis urget: & imbecille totum factum est corpus. Verū indicia hæc sunt dolētium hæmorrhoidarum, potissimū, cum surdæ, & cecæ effectæ sunt, non prorupto ab eis sanguine replente, quo fit, ut earum tensione orificii meatus obseretur, & spiritus flatuosi prohibita per anum exuffatione, plerumque alius murmuret, doleatque.

Alterum quidem nobilitati tuæ pernociuum est, uitiata iecoris temperatura, calido sanè immoderatè metito, atq; sicco, quo fit, ut totius corporis habitudo, sicco calido resolvente, tabida satis effecta sit. Quippe ut & eo calido toti corpori febris accendatur, quæ ex putrescēte uenarum humore fit, & quæ ex calescentibus membrorum humiditatibus, originem trahit. At & iecoris uitiata temperatura causam possidet amplam, & exuberantem, sanguinis ex hæmorrhoidibus fluxionem, qua super inflammata bile, febrem accendit, & corpus consumit, natiuam quoq; caliditatem perimens ipsius epatis temperaturam frigidam cōducit, quo fit, ut alimenti uirtus concoctiua pereat, & corpus tabidum fiat. Quippe ut pereat facultas sanguinem progignens, ut nedum in spiritum flatuosum alimentum uerum & aquam inter cutem concreet, quo fit, ut alius tumida efficiatur, & totum corpus hidrope molestetur. Nēpe eodem calido epatis natiuo resolutio uētriculi facultas adeo territa imbecillis fit, ut escam concoquere nequeat, & amplitudinem spiritus flatuosi progignat, doleatque.

Verum Vir Magnifice Tuarum affectionum curationis scopum uno, uel pluribus trium instrumentorum perfici posse, id Dixit Galenus, in libro de partibus artis medicatiuæ summa secunda, capite secundo, & in libro experimentorum, capite ultimo, cui alludit Auicenna, quarta primi, capite primo. Victus uidelicet ratione, medicamentorum oblatione, & manuū exercitatione. At eorum nobilius uictus ratio cēsetur, à gal. in lib. experimētōrū, cui



M V C O N S I L I V M

medicus in primis hærere debet, auctore Galeno undecimo methodi, capite quinto.

A E R .

**S**ane curationis methodum principium aggrediens de aere primum sermonem faciam. Admodum enim ab aere nos ambiente mutamur, ut dixit Galenus tertio, artis medicinalis, commento decimo, & undecimo, & nono methodi non longe à fine, & tertio methodi capi. viii. Ait enim ambiens uero is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, ob quam rem primo de sanitatis tutela non modicam expedit uim Galenus ipsius tuenda sanitatis in boni aeris electione.

Aerem igitur longe fugias crassum, & nebulosum clusumque, nullum recipiens perflatum, cum eo primarum partium facultates admodum uitientur, ut nequaquam suarum actionum idoneum terminum consequi ualeant: ob quod dixit Galenus libro primo de tuenda sanitate, nec qui ob stagnum, uel flumen uicinum nebulosus est aer, nec qui editis undique montibus in cauo loco clusus nullum recipit perflatum, suffocans enim putrisque est, Proinde accuratè locum domus tibi conducas, in quo clusus aer non sit, perflatus defectum sustinens. Dicente Galeno eodem libro, similis ei, qui in domibus quibusdam est inclusus aer, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum, plurimus aceruatur situs, huiusmodi enim aer omni planè ætati noxius est, Aerem quoque admodum fugias humidum, qui & stagni, & paludis halitu est infectus, & qui ex cloacis malam spirat auram, & qui ex animalium, & olerum, aut leguminum putredine uitium contraxit, aut fimo coinquinatur is enim uires corporis turbat, & humores corrumpit, at & idonei succi gignentem facultatem opprimit. Porro igitur purum aerem, & clarum tibi conducas,



conducas, ne impuritate, ac aeris crassitie principalium facultates tenebrescant, & hoc dixit Galenus libro primo de sanitatis tutela, ubi ait, optimum aerem censeo, qui prorsus sit purus, non sit admodum calidus, ne timor accensæ in membris febris incrementum capiat. Quippe neque frigidus ualde, ne tui corporis natiuæ caliditatis, inbecillis facultas noxio immodico frigore pereat, auctore Galeno quinto aphorismorum commento decimo septimo, & in libro de morborum causis ultra principium. Porro immodicus calor uentriculi officium impedit, ut dixit Galenus libro primo de symptomatum causis, frigidum uero undique torpidum efficit corpus, ut libro tertio, de symptomatum causis uoluit Galenus. Sanè singulum Dominationi tuæ noxium est. Quam ob rem eas ambientis qualitatis, quas effectiuas appellitant, ab optima temperatura non admodum delinquentes, tibi conducere suadeo, ut ipsius moderato calore officium facultatis uentriculi concreseat. Quod peritoneum arbitror tuæ modo factæ temperaturæ frigidæ, & siccæ. Quippe ut in contumaci ambientis frigiditate in his, quæ totum corpus accendunt febribus apertum præsidium consequaris. In his uero quas ambientis passiuas qualitates dicunt, iuberem humido in contumaci à temperantia eas excessum tenere, ut ipso moliente humido alui uia, & excrementa emollita liberalius excernantur, peritoneum sanè duris, ac dolentibus hæmorrhoidibus. Quippe & humidum siccæ temperaturæ contrarium eam dilaniare ualeat. Quo fiet, ut tabida tui corporis affectio amoueatur, ipsiusque alitio in uigore consistat. Nempe si huius naturæ ambiens defecerit eo in loco, in quo moram trahes, aeris illius temperatura molienda est, quod quidem solerti tuorum medicorum prudentiæ relinquo, præceptis Galeni seruatis nono methodi curatiuæ finem uersus. Cæterum iuberem D. T. moderato calido caput suum munire, & uentriculum, aluumque,

ob



ob id Galeni uerbum quinto aphorismorum, commento uigesimo secundo. Calor uero extrinsecus capitis grauitates tollit, concoquens, atque dissoluens quaecunque molestiant.

**PANIS.**

**P**anis electionem sic habeto, nam si Galeni sermonem obseruabis primo libro de potentiis alimentorum, capite secundo. Tui panis facturam ex solo tritico iubebis, ipsum enim nedum apud omnes nationes frequentissime, immo summa cum diligentia usurpatur, atque utilitate, Quippe illi natura calida moderate, & temperies in humido & sicco debetur, ut etiam exigua mole corpus ualentissime nutriat, tibi sane opportunum.

Ex triticeis namque panibus D. T. peridoneus est ille, qui ex tritici simila conditus est, sincerissimus enim panis est, naturalia non grauitans, non inflatiuus, neque deorsum aluum implens, & peroptime nutritiuus, auctore Galeno eodem in loco, at & princeps, secundo canone, capite. DLXXIII. Sermonem hunc dixit, panis de simila est melior eo, qui de farina, nutritibilior, & eius nutrimentum est melius.

Sitque panis is, non admodum fermentatus, sui enim superfluente acetositate facultati uentriculi concoctiuae noxius est, iuxta illud Principis secundo canone, capite. CCLXXXV. & in eo est uirtus infrigidatiua propter suam acetositatem. Quippe neque omnino fermento careat, ob id Galeni uerbum primo, de facultatibus alimentorum, capite secundo. At qui omnino fermento caret, nemini prorsus erit accommodus.

Porro non sit D. T. Panis salitus, ob id Galeni uerbum secundo, de compositione medicamentorum secundum locos, capite decimo octauo, Sal noxium est propter grauedinem.

Non sit ex communi tuo usu panis admodum coctus,  
ut



ut qui cruda, incoctaque interiora habet, ambusta uero ob arida, & crustacea exteriora. Ignis enim uis in totum panem nequit penetrare, ideoque illum non percoquit, sed crudiores relinquit, maximèque intimas partes. Is enim dixit Galenus primo de facultatibus alimentorum deterimus panis censendus est, & uentriculo inimicus, qui in crustaceis admodum aduritur, in intimis uerò incoctus relinquitur.

Sitque panis, quo communi esu uteris recens dierum trium. Sanè quidem calidus non edatur ob illud principis uerbum secundo canone, cap. DLXXIII. Panis enim calidus non est apud naturam receptibilis. Sitim facit, & natat propter suam uaporosam humiditatem. &c.

## VINVM.

**V**inum, quo communi potationis usu D. T. utitur nequaquam crassum sit, & ponticum, atque acetosum, Dicente Galeno in libro de subtiliante diæta, & cæteris uinis magis inutilia sunt, quæcunq; pontica, thoraci, pulmōni, adde & uentriculo, quia uirtus uentriculi concoctiua, atque intestinorum haud facile laborat his uinis.

Non sit dulce uinum, album, aut nigrum, cum siticulosum sit, atque flatuosum, & facile bilefcit, ex Galeno tertio de uictu acutorum ad principium, & tu plerumq; siti turbaris, ob id quod iecoris inordinata caliditas ad instrumenta appetentiæ exufflata, sitim conducit. Flatuosus quoque es imbecilli, uentriculi, & alui, facultate concoctiua iam effecta, quo fit, ut in his doleas spiritu flatuoso in his perpetuo concreato, bilem quoque progignis, ut alui indicant excrementa, & febris, & sitis.

Porro sit eius uinum album, tenue, odoriferum, non uehementium uirium, album quippe, quoniam nigrum astringens est, & tenue, cum crassum obstruat, & haud facile permeat, porro odoriferum, ut eo uentriculi concoctio



robur capiat, & semicrudos humores attenuet, & spiritus flatuosos dilaniet, non uehementium uirium, ne caput tētet, & in toto corpore magis febrem accendat, & hanc sentētiam uoluit Galenus quinto de locis affectis, capite quinto, ubi ait. Si uero sit cruciaretur, ex uino madidum, & quidem albo, atque modicum stringente, & quarto de sanitatis tutela, ubi ait, nec tamen à uino eum abstinemus, concoquit enim, & id semicrudos humores quātum aliud quo d uis. Et eodem in loco ait. Quòd si crudos iam succos satis attenuatos speras, uinum dabis, quod & substantia sit tenue, & colore fuluum, albumue, hoc & ad succi bonitatem, & concoctionem facit. Vnum tamen te scire uellem, ubi iecoris, lienisque, atque renum uitio D. T. careret, indubitato, imbecillum uirium uinum album, dulce, perlucidum tibi non denegarem ob id Galeni uerbum in libro de cibis boni, & mali succi, ubi ait, eamque ob causam, qui indigent refectione, ut dulce uinum potent, suadendi sunt ac tum præcipuè, cum horum iecur, lienque, & renes uitio carent. Postremo uero cum uinorum diuersitates rebelles sint, atque contumaces facultatibus membrorum nostri corporis, & potissimum concoctrici uentriculi facultati. Quippe cum rei ipsius non naturalis, subita satis, ac assidua mutatione natura terreatur, ut nedum concoquere ualeat, uerum & fastidio affecta, appetentiam amittit, & sitis urget, ideo horum uinorum diuersitates D. T. longe fugere intrepida fronte iubeo.

## C A R N E S.

**A** Nimalia quæcunque peditantia temporis uetustate terrei alimenti naturam sibi concesserunt, eorum carnes cauere debes, cum, non optimi sanguinis, sed feculenti materiam facile progignant, refectioni D. T. satis contumacis. Quippe, & singulæ affectionis tuæ satis noxiam ueluti bubulacaro, auctore Galeno tertio de potentiis alimentorum, capite primo, ubi ait, Bubula caro alimentum ipsa quoque



quoque nō exiguum, nec discussu leue præstat, sed sanguinem crassiorem, quàm par est, progignit. Quales & sunt ceruorum carnes, capreolorum, caprarum, arietū, & uetustorū castratorū, auctore Gal. iii. de facultatibus alimētorū.

Nempe quod experientia didici, id admodum sequi opinor. Dixit enim Galenus decimo, simplicium medicamentorum, capite secundo, solam experientiam fidem facere, compertum autem experimento iam est, suillam carnem uentriculum grauitando crassum progignere alimentum, & sui natura non facile concoqui, auctore Galeno septimo methodi curatiuæ, capite sexto. Quam ob rem suillæ carnis quamlibet administrationem D. T. fugere sanè arbitror. Cum humoris geniti crassitie, atque hærente uiscositate, uentriculo noxia sit, at non idonei succi ipsa gignitiua, quidquid de suilla carne dixerit Galenus tertio, de facultatibus alimentorum, capite primo, & in libro de cibus boni, & mali succi.

Sint igitur tuæ carnes facilis concoctionis, & optimi nutrimenti, sanè quæ non facilem concoctionem apud uentriculum tenent, naturali enim facultate uentriculi imbecilli facta, flatuosam humiditatem ipsa progignit, tendentem quippe uentriculi tunicas, & his dolet. Porro & non idoneum succum iecori conducit, quo fit, ut ipsum cætera membra male gubernet, maleque reficiantur D. T. noxiū fatis. Sint igitur in communi tui esu carnes. Quales sunt, pullorum gallinarum, fasianorum, perdicum, turturum, columborum, iuuenum cuniculorum, hædorum, agni, atq; uituli, & iuuenis castrati, & horum omnium carnes ede elixas, sanè sanius est, cum tosta, atque frixa admodum adstringentia sint, tuis quippe hæmorrhoidibus pernocua.

Sint porro carnes cuiusuis generis, quas usitato esu D. T. deuorat, pinguedine nudæ, pinguedo namque humida res est, admodum, similis oleo uetustate incrassato, auctore Galeno libro tertio, de potentiis alimentorum, capite deci-



mo, hoc sane osculo uentriculi noxium.

Verum uir magnifice eorum animantium, quæ uolatu fidunt, carnes ob facilem concoctionem, atque leuissimi alimenti & peroptimi præstantiam, præcipuam laudem in tuis merentur affectionibus. Qualia sunt, ut plura uno nuntiem uerbo. Quæcunque quorum uictus, atque habitatio in pratis, agris, arboribus, & nemoribus, reperitur, ueluti sunt perdices, fassiani, francolini, columbi, turdi, merula, ficedula, ortulani, & similia.

Cæterum tibi suadeo animalium carnes cauere, quæ in stagnis, aut paludibus, atque lacustribus degunt, qualia sunt anates, anseres, & similia. Dicente hoc Galeno in libro de cibis boni, & mali succi, Præterea aues, ut ita dicam, omnes boni succi sunt, exceptis lacustribus, palustribus, & quæ in immundis fluminibus, ac turbidis degunt: Caro enim animantium, quæ uiuunt in aquis eiusmodi deterrima est. &c.

## P I S C E S .

**I**llos sanè pisces cauere debes, qui in cænosis, & sordidis aquis uescuntur, porro & qui in paludibus & lacubus capiuntur, excrementitia namque, & mucosa est eorum caro, auctore Galeno tertio, de potentiis alimentorum, capite uigesimo quarto. At excrementitiam carnem eam dixit Galenus eodem libro, cap. XL. quæ pituitosam humiditatem in se respersam continet, tibi certè nocuam.

Fluuiialium uerò piscium caro non adeo D.T. noxia est, & tanto minus quanto fluminis aqua rapida, & multiflua est, ut ipsius torrentis fluxu, pisces admodum fatigentur. quo fit, ut eorum caro minus excrementitia, atque mucosa reddatur. Omnium uerò piscium caro, qui in puro natant mari adhuc D.T. minus nocua est, maximè cum uentorum difflatu agitatum tollitur, auctore Galeno tertio, facultatis alimentorum, cap. XXIII. ubi ait, in silente namque  
mari



mari nullisq; agitato fluctibus, tanto piscium caro uilior est, quanto minus exercitata. Quam ob rem quanto pisciū carnes exercitio minus mucosæ, & excrementitiæ redduntur, tanto tibi magis peridoneæ sunt. Qui igitur in stagnis uescuntur pisces, eorum caro deterrima est, plurimumque D. T. incommodabit. Qui uerò saxatiles pisces appellantur, non admodum tibi noxii sunt, ob id, quod minus excrementitiæ atque mucosæ sunt eorum carnes. Quippe de his, qui in saxosis aquis piscibus nascuntur loquens Galenus tertio, facultatis alimentorum, capite uigesimo septimo, ait. Eorum porro alimonia non modo concoctu facilis est, uerum etiam hominum corporibus saluberrima, ut quæ mediæ constitutionis sanguinem procreet, medium autem sanguinem uoco, qui neque tenuis est, neque aquosus, neque impendio crassus porro D. T. peridoneus.

Salitos tibi non admitto pisces, ob id Galeni uerbum secundo, de compo. med. s. l. cap. XVIII. ubi ait. Sal noxium est propter grauedinem, & maxime capitis. Quippe & omnia falsedine affecta tibi contumacia sunt, ob id potissimū, quod de ulceratis hæmorrhoidibus dubium habuimus.

Pisces autem, quos ex comuni esu edis, coctu parentur super ignitis carbonibus, ut si quid excrementitiæ, & mucosæ humiditatis adfuerit, sicca caliditate cōsumatur, quippe & in perlucida aqua elixati, non adeo tibi inconuenientes sunt, si paululo cinnamomi, & petroselini, modicissimoq; omphacii condiantur. Pisces in sartagine frixos, nequaquam tibi admittimus, nedum enim naturæ rebelles sunt, uerum & prauī succi progignentes.

## O V A.

**Q**uæ ab animantibus oua nascuntur, inter hominum numerantur alimenta apud Galenum tertio facultatis alimentorum, capite uigesimo primo. Quorum summam alitionis laudem gallinarum oua, demum fasianorum



C O N S I L I V M

fasianorum obtinere. Porro cum albuminis uis adstringens sit, quæ admodum dolentes hæmorrhoidas incommodat D. T. solo oui uitello accommodatam fore non ambigo.

Nempe sint tui oua recenter nata, & non diu asseruata. Hæc sanè recentia facili obediunt concoctioni, diu uerò asseruata, nedum cōcoctioni pertinacia sunt, sed prauorum progignencia succorum, ob quam rem dixit Galenus tertio, potentiaæ alimentorum, capite uigesimo primo. Recentium porro ouorum ad uetera, non mediocris est differentia, quippe optima sunt recentissima, pessima perquandiu asseruata.

Non sint oua, quæ D. T. communi esu largimur cocta seu dura, ob id Galeni uerbum eodem libro, ubi ait, cocta, seu dura oua difficilis sunt concoctionis, & tardi transitus, crassamque alimoniam corpori exhibent, quæ tuo corpori maximè noxia est, sint porro tremula, & forbilia, quæ tibi admittimus oua, dicente Galeno eodem libro. Tremula, molliaue oua, omnium bellissimè nutriunt.

Nempe in aqua decocta sint, quæ acceperis oua, ob id, quod in feruescentibus cineribus assata, longe tardioris sunt meatus, & crassioris succi.

Quippe quæ in sartagine oua condimento parantur longius distent à communi usu D. T. ob id Galeni uerbum tertio alimentorum, capite uigesimo primo. Quæ uerò in sartagine ad crassitiem usque friguntur, deterrimi omnino sunt alimenti. Dum namque coquuntur, nidore ac fumum edunt, succusque ex his prognatus, non solum crassus, uerum etiã prauus, & excrementitius est, qui quantum tibi noxius sit, non te latere debet. Demum cum aliis coagulata eduliis non admodum tibi idonea sunt oua, nempe cum his dura ducuntur, prauorum gignentia sunt succorum, auctore Auicenna, secundo canone, capite. CCCCXXVIII. ubi ait, & melius eorum artificium est, ut

non



non cum alio coagulentur.

## LAC.

**L**Ac numerandum esse inter cibos, qui ab animalibus proficiscuntur, compertum est, à Galeno libro tertio, de facultatibus alimentorum, capite decimo quarto, & in libro de cibis boni, & mali succi, Quippe D. T. molestissimam esse escam facile arbitror. Cum uentriculi frigidam patiaris temperaturam, quo fit, ut in eo lac ace scat, dicente Galeno quinto aphorismorum sexagesimo quarto. Si non benè concoquatur lac, in quibusdam ace scit, in quibusdam autem euaporat, in uentriculo quidem frigidiore ace scit, in calidiorè euaporat, Verum Vir Magnifice cum suspensa idest inflata, uel flatuosa possideas ilia, lac tibi contumacem esse alimoniam non ambigo, auctore Galeno eodem in loco, ubi ait. Vbi enim in his, qui integra sanitate fruuntur, uidemus lac capiti dolorem afferre, & ilium inflare, nihil mirum excogitanti, quod his, qui iam caput dolent, uel suspensa habent ilia sit inimicissimum. Quippe & nocere dixit lac iliis murmurantibus, tibi certè iunctis. Dicente Galeno. Maior itaque offensio iliis distentis, minor uerò murmurantibus, sed tamen neque his est utile lac.

Non ne D. T. sitiens est, & dixit Hippocrates, & sitientibus lac malum esse, inquit enim Galenus. Euaporat enim in ipsis, siue natura sitierint, siue ex aliquo tempore sitis aduenerit.

Porro & ex te bili osa deiiciuntur excrementa, quo fit, ut causa calida, lac ad fumosum alteretur, & febrem augeat, & caput tentet, auctore Galeno eodem in loco. Cum igitur his passionibus lac plurimum aduersatur, tibi edulium molestissimum esse fateor ipsum lac.

## CASEVS.

**C**aseum ex iniecto lacti coagulo formari, dixit Galenus tertio, de potentiis alimentorum, capite decimo sexto,



sexto, quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit, eoque magis inueterata crescit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, concoctionique contumacior, & deterrimi alimenti procreator. Quam ob rem à tota rei natura caseum D. T. nequaquam dandum puto. Et quanquam facultatis attenuatoriae crassorum corporis humorum caseus sit, quo fit, ut in te flatuosi spiritus causa dilanietur, & murmur, & uentriculi, atque alui dolor tollatur, plus porro damni his passionibus affert caseus, ex succi prauitate, & æstuanti feruore, Quam crassorum attenuatio prodesse possit, auctore Gale no eodem in loco.

Forte non admodum errore ductus eris, si recentis, & diurni casei nonnunquam modesto utaris esu, ob id Gale ni uerbum tertio alimentorum, capite decimo sexto, ubi ait. Laudatissimus inter omnes caseos recens habetur, gratissimus ori, & stomacho minime noxius, aliisque omnibus caseis concoctu facilior, succo constans non uitioso, neque usque adeo crasso, quod omnium tamen caseorum commune uitium esse solet.

Coeterum uir Magnifice te scire uelim. cum ex eo, quod in lacte pinguisimum est, butyrum progignatur, facultatem leniendi, atque molliendi sibi conducens, quo fit, ut leni sui mollitie hæmorrhoidibus præsidium præstet. Cum porro generatiõis bilis materia existit, proculdubio eum D. T. cauere iuberem. Quod si ipsum uiolacea aqua elotum paululo cinnamomi, & zucchari asperso modeste esitaueris, nõ tibi admodum contumax erit, cum lotura hac quod in eo tenue, ac feruescibile est, tollatur, & adeo idoneum non erit ad bilem progignendam.

## OLERA.

**Q**uæ ex oleribus D. T. esitare debet, porro excalfacientia,



tia, atque exsiccantia minime sint. Qualia sunt hyssopus, menta, calamentum, fœniculus, sisimbrium, salvia, betonica, & similia, uerum ea simplicia tibi denegare audeo, his tamen iuncta, quæ emolliendi uim quandam habent, eius affectionibus peridonea esse facile arbitror. Hæc quippe emolliendo siccitati obuiant, illa uerò uentriculum roborando, ac iecoris serata orificia aperiendo tum hærentes succos attenuando, spiritus flatuosi generationem tollit, tibi sanè peridoneum, qualia sunt borago, buglossum, endiua, lactuca, spinachia, cichoriū, & similia, quæ cum prædictis condimento parabis, paululo addito cinnamomi, & zucchari. &c.

Terræ namque bulbos cauere debes, qui mordaci acrimonia præditi sunt. Qualia cæpæ, allia, ascaloniæ, porri, & huiusmodi. Acrium quidem omnium assiduus usus à te cuitandus est, cum facultatem quandam alendi corpus obscurissimam habeant, auctore Galeno secūdo, simplicium pharmaceorum capite ultimo. Et quæ excalfaciendi facultate admodum prædita sunt, potissimum cauere debes. Qualia piper, zinziber, gariophylli, cinnamomum, crocus, macis, & similia. Quorum omnium solum plerumque paululum cinnamomi, ut uentriculi facultas oblectetur, tibi admittere audeo. &c.

### FVNGI.

**F**Vngos quouis modo condiendi paratos, sanè cauere debes, quippe nedum mali succi sunt, uerum & alimonia ex his procedens, pituitosa, gelidaque est, os uentriculi angustians, auctore Galeno secundo, facultatis alimentorum, cap. LXIX. ubi adhuc inquit, fungi etiam cum siccari nequeant, uitium in se habere maximè indicant. Dixit quoque princeps secundo canone capi. CCLXXIII. Accidit ex fungis, qui non interficiunt, præfocatio. &c.



**D**E fructibus, quibus homines uescuntur, te non latere debet, uir magnifice, hos quidem horarios Prisci appellitant, qui in anni hora nascuntur, quippe anni horam uocantes id tempus, in cuius medio canicula exoritur, auctore Galeno secundo facultatis alimentorum, capite secundo, hos quidam terræ fructus nuncuparunt. Quales sunt cucurbitæ, mellopepones, cucumeres, pepones & huiusmodi. Qui cum humidæ sint consistentiæ, atque larga humiditate affecti, ne dum humidam progignunt alimoniam, at exiguam, & facile è corpore excernibilem, ut Galenus dicere audeat, id genus omnia uitioso succo notata. Quam obrem & si humectando ea tibi non sint uitiosa, pluris tamè incommodi erunt, tum sui algore uentriculum imbecilem reddendo, tum natiuam iecoris modicam caliditatem opprimendo. Quo fit, ut ilia suspensa. i. inflata, & flatuosa fiant, & alui tumor, dolorque concrecant. Nempe si ut pueri uoraci appetentia pulsî D. T. quempiam horum cuperet, tunc paululo piperis, uel cinnamomi condiantur ut noxia eorum frigiditas aromatica caliditate rumpatur.

Eos uero, quos arboreos fructus appellitant, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno secundo, alimentorum, capite septimo, à tota rei natura D. T. non admittimus. Hi enim, quorum mollis, atque humida est consistentia, nedum tenuem, humidamq; ex se corpori alimoniam afferunt, uerum & flatuosam, tibi admodum nocuam. Quales sunt ficus, pira, poma, persica, armeniaca, cerasa, pruna, & huiusmodi. Quòd si eodem desiderio ductus, quempiam horum esitare decreueris, maturas ficus, ueluti minus noxias, tibi tradere iuberem, minus namque prauî succi adgenerant omnibus his, qui fugaces, & autumnales uocantur fructus, & si penitus huius uitii non immunes reddantur ficus, auctore Galeno secundo alimentorum, capite octauo. Quippe & ipsæ uentrem flatibus implent. Quo fit,

ut



ut non mediocrem ingerant molestiam & uentriculo, & aluo. Nisi Galeno credamus dicente, earum è uentriculo descensum celerem esse. Quo fit, ut in uétribus multi temporis interuallum trahere non ualeant, ut in his inflare sinantur, ob quam rem dixit Galenus ficus cæteris autumnifructibus innocentiores esse.

Nempe poma, piraque, feruescentibus cineribus cocta, nonnunquam esitare poteris, excalfaciens certe ignis, nedum humidum nocuum minuit, uerum & flatuosum spiritum sensim excernit, soluitque. &c.

#### LEGVMINA.

Ceterum ob id, quod legumina nulla gratia, nullaque iucunditate commendantur, quippe & flatibus uentres admodum implent, auctore Galeno libro primo, de potentiis alimentorum, & hoc porro tibi nocuum ualde, ea proculdubio cuiusuis generis paratus adfuerint, tibi ingratas escas pronuntio, ob quam rem, ut eorum fuga te munias, aperta fronte præcipio. Quòd si tui inordinata appetentia ad hæc fuerit, plerumque iusculum cicerum rubeorum sorbere iubeo, quod haud puto admodum inutile.

#### MOTIO.

Humani corporis excogitata dimotio non solum ad sanitatis tutelam, uerum & ad bonam corporis habitudinem necessariam esse prisca omnes prædicarunt, auctore Galeno libro primo, de tuenda sanitate. Igitur ut D. T. bonam sibi conducat ualetudinem, præcipere oportet, ut corporis motione, atque exercitatione gubernetur. At quoniam non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibo se exercitant, ut Galenus sexto, de tuenda sanitate dixit, non ab re eam impleto uentre exercitari nollem, ea inquam motione uaporibus plerumque impletur caput, atque non concoctum alimentum uolentia quadam membra rapiunt Potissimum igitur tui motio sit ante ci-



bum, nihil tamen quin & post cibum. Quippe ante cibum quoniam ea uirium corporis robur augere solet, auctore Galeno sexto de locis affectis. cap. vi. Quippe & ea exiguos meatus expurgat, & excrementa pellit, & ob hoc dixit Galenus secundo de sanitatis tutela uerbum hoc. Vtilius est ante cibum exercitationem adhibere.

Nempe & post cibum non omni hora exercitationi submittaris: quoniam tempus ad exercitationem commodissimum dixit Galenus secundo de tuenda sanitate, est, cum externus cibus duplici concoctione iam prorsus sit confectus, & ea, quæ in uentre, & ea, quæ in uasis sanguinis agitur, ac iam denuo cibandi tempus instat. Quod si aut prius, aut posterius exercitatione utere, aut crudis hominem impleueris, aut pallidæ bilis prouentum auxeris.

Porro ut Galenus sexto de tuenda sanitate dixit, exercitationes, quæ post cibum fiunt, quàm maximè eas lentas esse expedit, ne celerius quàm oportet, membris cibus rapiatur, illas namque, quæ ante cibum fiunt, magis citas esse oportet, ut quæ cavitates superflua implent, natura exercitatione in uigore consistente, ualentius deiiciantur. Quippe non has citas esse expedit, quales festinabundi usurpamus, opere aliquo urgente, quoniam cuilibet facultati nocumentum afferunt.

S O M N V S .

**S**I ambo somnum, atque uigiliam coniectari uoluero, hæc sanè fieri secundum innati caloris motiones comperiam, auctore Galeno secundo aphorismorum, commento primo, somnum quidem ad intima corporis, uigiliam uerò ad exteriora natiuo calore promotò. Quam ob rem cum in somno reuocato calore uirtus concoctiua plurimum confortetur. In uigilia uerò eius sparsione ad exteriora minus, auctore Galeno secundo de ratione uictus auctorum, commento. LVII. & primo aphorismorum, commento. XV. non ab re iubeo D. T. pluri gaudere somno,

quã



quã uigilia. Vtroq̃ tamen non magis modo facto. &c.

### LAETITIA.

**C**vm animæ passiones nostra dilanient corpora, & eã, quæ à natura constitutionem permutant, auctore Galeno tertio, artis medicinalis, non ab re te lætari iubeo. Quippe & gaudio afficiar magno, cum te lætitiã potiri accepero, ab his enim quæ corpus lacerat passionibus omnem tui affectionem originem trahere comperimus, ob quam rem earum sanatio est mente lætari. &c.

### REPLETIO.

**C**vm natiua tui caliditas imbecillis satis sit, ideo inani tione non egēs. Quippe cum tui membra tabescendo succedant, impletio peridonea est, non quidem immoderata, ob eam non obedire debili concoctioni at si impletionem succi mali accipere uelimus, eius amotionem cum euacuatione postea dicenda corrigere non negligam. &c.

### MEDICATIO PER POTIONEM.

**A**lteram rem aggrediar, quam morbi profligandi facultatem libro de sanitatis tutela Galenus appellat. Nempe igitur uir Magnifice mihi nullo ductus errore sua deo D.T. binis medicationibus per anni temporis spacium medicari oportere, una uernali, altera uerò autumnali tempore initiantibus. Quippe huiuscemodi erunt medicationes præcauentes morbum, qui futurus est, atque curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, ac curandi morbum eodem scopo procedam.

Initio igitur ueris pereunte, medicamentis purgari iubeo. Idoneum enim id tempus purgationibus existit, auctore Gale. in libro de sanguinis missione. Primum igitur urgente ex dolore hæmorrhoidarum necessitate, quas certè tumidas intus, factasq̃ cecas puto, libera mente auderem, solam sanguifugam uni uenarum hæmorrhoidaliu, ut & benè purgatam iniungere. Cū. n. sanguinè è profundo nõ extrahat sanguifuga, iuxta illud Galeni in libro de hyrudine, sciendum autè est



est sanguifugas haud eum, qui in profundo est, sanguinem extrahere, ideo maius praesidium nasci puto, ex ea, remisso dolore, quam quod incommodi D. T. ex uirtutis imbecillitate contingere possit, at nedum locus earum, uerum & absque molestia totum purgabitur corpus, auctore Galeno in libro de atrabile capite quarto. Quod si in hoc tui mens cadet, prius alui lenitate utere. Sic Mannae peroptimae vnc. ii. & med. accipito, cum aqua coctionis iubarum, liquiritiae, passularum, uiolarum eliquato, & potui dato. Vel sic, diasenae lenitiui. drach. vi. diasebesten lenitiui. drach. ii. sumito, & praedicta cum decoctione soluito, & potationi dato. His porro duobus peractis, uel alui lenitione solum, succedentibus sex continuis diebus syrupum in diluculo capies, syrupi uiolati vnc. i. syrupi de cicorea absque reubarbaro, mellis rosati collati, de quolibet vnc. med. aquae lupulorum, buglossae, endiuiae, de qualibet vnc. i. accipito, & potui dato. Septima succedente die, hora qua diei lux ad nos accedit sequentem potabis potum. Mannae electae vnc. i. & med. diasene lenitiui. vnc. med. cum coctione pectorali communi potum facias, & bibe.

Succedente ergo toto aestiuo tempore continuatis cuiuslibet mensis decem diebus sequentem in diluculo potabis potum. Portionem quartam unius caponis anteriorem non pinguem bene tamen carnosam, & hordei mundi vnc. ii. accipito, & in perlucida aqua ebullito, quoad ferè carnes consumantur, demum colato, & modico cinnamomi & zucchari permixto potui dato.

Diebus uero aliis, quibus potum hunc non capis, iuberem plerumque D. T. sequente uti confectione tribus horis ante sumptum prandium, & cum cubare uolueris modicam eius portionem accipies ad somnum iuuamentum praestantem.

Seminum papaueris albi, sem. lactucae, sem. endiuiae, de quolibet. drach. ii. seminum mellonum, & cucurbitae cuiuslibet.



libet. vnc. med. amigdalorum dulcium, pinearum pistacio-  
rum de quolibet vnc. i. penidiarum vnc. ii. spodii, drach. i.  
& med. cinnamomi drach. ii. carnis pulparum caponis, &  
fasiani, & testudinis nemoralis cuiuslibet vnc. iii. omnia si-  
mul peroptimè contendantur, & cum aqua uiolata, & zuc-  
charo, quod sufficit, artificialiter fiat confectio.

At quia uentriculi facultas imbecillis facta est, eius ro-  
bur procuretur, tum duo coclearia ante cibum sequentis  
mixturæ accipiendo, syrupi de menta, mellis rosati de quo  
libet vnc. ii. tum quotidiano utendo unguento isto, prius-  
quàm mane è lecto surgas olei mastiacini, absinthii, spicæ,  
citoniorum, cuiuslibet vnc. med. corallorum rubeorum,  
sem. rosarum rubearum, nucis muscatæ, gariophyllorum,  
ligni aloes de quolibet, drach. med. paululo addito ceræ,  
conficiatur unguentum molle.

Et cum ferè tempore continuo T. D. alui torsionibus  
molestatur, non ab re eodem tempore aluū ipsam sequen-  
ti unguento inungere iuberem, quo & spiritus flatuosi sol-  
uentur, & dolor tolletur. Quòd si anchas eodem tanges un-  
guento præsidio tibi erit, olei de cheiri, amigdalorum dul-  
cium de quolibet vnc. i. unguenti aragon, unguenti mar-  
taton, cuiuslibet vnc. med. misceto, & usui seruato.

Cum uerò iecoris, cuius malam affectionem cognoue-  
rim, aquam inter cutem minantem, non ab re sequentis  
confectionis quotidiano usu portionem capere duabus  
ante prandium horis præciperem, ea quippe epatis obstru-  
ctiones aperientur, & facultas sanguinis gignitiua concre-  
scet, hoc tibi necessarium ualde. Limaturæ calibis præpara-  
tæ, & in subtilissimum puluerem ductæ. vnc. ii. specierum  
dyarodonis abbatis vnc. i. epatis lupi optimi, & subtiliter  
puluerizati vnc. i. & med. passularum sine ossibus vnc. ii.  
Reubarbari puluerizati, & cum uino albo irrorati drach. i.  
succu lupulorum depurati, succu pomorum dulcium, de  
quolibet. vnc. ii. de zuccharo quantum expedit, conduca-  
tur



tur mixtura. Et te non latere uolo mixturam dictam D. T. ab omni futuro malo securam efficere.

Nempe cum uigilia immodica te laborare acceperim, a tota natura rei tibi pernocua duplici præsidio D. T. ab ea amouebo. Primum est sem. iusquiami albi drach. ii. accipito. Vini albi potentis, & dulcis vnc. viii. hæc simul bullito quo ad totius tertia consumatur pars. Ea quippe hora qua cubare uolueris, uino isto calido, nares, tempora, aurium extremitates tanges, & dubio procul dormies.

Secundum præsidium est, corticum papaueris recentium sui anni Vnc. i. tortellarum de seni, Vnc. med. femin. aneti, anisi, de quolibet drach. ii. masticis drach. i. ex his fiat subtilissimus puluis, cui permisceto penidiarum pulu. Vnc. ii. mensura est drach. ii. in pulli iusculo cum cubare uolueris.

Verum enim uero, cum tui corporis molestia, & animi turbatio sit, ingens hæmorrhoidarum cæcarum dolor, D. T. consulo his debere gubernari medicamentis, primum quotidie, uel alternis diebus alui lenitione curabis, sequenti antidoto, floris cassiæ recenter extractæ Vnc. i. anisorum puluerizatorum drach. ii. zucchari Vnc. med. accipito, hæc permisceto, & duas drachmas ante cibum accipito, super quod haustum iusculi pulli bibito.

Demum sequentibus utere medicamentis, quorum exercitatio dolore stimulante etiam à principio, & tempore quo præcedentibus medicamentis simul fieri potest.

Primum est, ut uicibus duabus quotidiana utaris sessione, in sequenti balneo. Maluam, bismaluam, altheam, uolariam, brassicam, uerbascum, camomillam, mellilotum, fenugrecum, sem. lini accipito, & in fluuiali aqua ebullito quoad pars tertia aquæ soluta sit, & in residuo tepido horæ moram trahas.

Balneum aliud in quo certum reperiri præsidium est, olei oliuarum lib. xxx. Radicum altheæ. Vnc. iii. accipito, & ebullito



& ebulito, eodemque sedeat modo. Cōfestim post exitum à balneo lanam succidam oleo dicto madidam circulo calidam applicato, & simul femori frequenter apponatur, spatio temporis dimidii horæ sic continuabis. Demum repente, sequentis confectionis drach.iii. accipies, & duabus sequentibus horis cibum capies, succi radicum uerbasci, vncias quattuor, penidiarum, vncias tres, pulueris liquiritiæ, vnciam mediam, zucchari quod expedit, & mixtura conficiatur.

Quod si aluus tibi adstricta erit, duobus sequentibus utere clysteri. Primum est olei oliuæ prædicti Vnc.x. butyri recentis. vnc.iiii. succi foliorum porrorum vnc.i. & med. zucchari, vnc.i. & med. vitelli oui numero.i. salis drach.i. si ulcus non fuerit, accipito, & clystere conficito.

Aliud clystere dictæ coctionis herbarum Vnc.x. olei oliuæ Vnc.iii. butyri recentis. Vnc.ii. succi apii Vnc.i. & med. vitelli oui unum, salis comunis, & zucchari ut expedit, accipito, & clystere iniicito.

Quod si pensitabis hæmorrhoidas ulcere affectas fore, te scire uelim frequentem huius clysteris usum, & dolorē, & ulcerationem tollere, lactis uaccini Vnc.x. mellis rosati, Vnc.ii. aloes drach.ii. succi apii. Vnc.i. vitelli oui unum accipito, & clystere frequentato cum zuccharo.

Vnum tamen te scire uelim, in cuius experientia optimè edoctus sum, si triginta diebus continuis, sequentem liquorem calidum per circulum loco hæmorrhoidarum cum siringa uel succida lana bis in die applicueris indubitato sanaberis, succi porrorum Vnc.ii. succi apii Vnc.i. butyri uaccini, olei nucum, olei decoctionis, cataputiæ cuiuslibet Vnc.i. & med. olei raphani. Vnc.i. sepi renum capræ. Vnc.i. & med. accipito, & linimentum conficito. &c.

Aliud unguentum mihi secretum, quo & hæmorrhoides dolentes, & ulcerosæ proculdubio sanantur, si ad eas sequēs unguētū iūgatur, succi mediæ, corticis sãpuci. vn.ii.



C O N S I L I V M

succi apii. Vnc. i. succi celidoniae Vnc. i. & med. Butyri recentis, sepi renum caprarum de quolibet Vnc. i. maxillarum lucii, porcelinorum terrestrium, uermium terrestrium, omnium exsiccatorum, de quolibet Vnc. i. olei decoctionis capitatae. Vnc. med. singulis puluerizatis puluerizatis cum paululo cerae fiat unguentum molle, cuius portio cum lana succida loco haemorrhoidarum imponatur, uel in lacte uacino liquata, locus ter, uel quater die uno siringetur.

Aliud mihi secretum à quo haemorrhoides dolentes, & ulcerosae indubitato curantur, si eo frequenti usu patiens utatur. Succi celidoniae, pinguedinis colli muli ubi sunt crines, de quolibet. Vnc. iii. accipito, & misceto, eius quidem portionem, uel siringa, uel succida lana loco patienti imponito.

Aliud quod à me expertum est, optime ualere, si patiens frequentet sessionem super tabula calida de ligno pini inuncta pinguedine renum caprarum, & mirabilem assueque ris effectum, unum tamen te scire uelim, quod si tanti uigoris dolor affuerit, ut iam scriptis medicamentis solui non posset, timore non afficiaris, si unicuique eorum unguentorum grana quattuor opii misceantur.

Nempe autumnali tempore ad nos accedente, iterato corpus suum mundet. Primum igitur secundam irudinem uni solum haemorrhoidarum applicandam censeo. Demum sex continuis diebus sequentem syrupum potet, syrupum bisantinum, & uiolatum, & de lupulis, & mel rosatum potet Vnc. med. accipito, aquam cuscute, apii, & cicoreae, potet Vnc. i. syrupis misceto, & potui dato.

Septima uero die purgetur corpus sequenti medicamento, medullam cartami drach. ii. diasenae lenitiui drach. vi. mannae electae Vnc. i. accipito, & cum pectorali coctione communi potum facito, & exhibeto, Hyberno uero tempore currente, ultra haec, quae iam diximus, medicamenta, quae & hyberno tempore exercitare poteris, mirabilem effectum reperies,



reperies, si quotidiano usu spacio temporis dierum decem cuiuslibet mensis in diluculo sequentis mixtionis drach.ii.ceperis, ei superpotando iusculi cicerorum rubeorum Vnc.iiii.mirabolanorum indorum, beliricorum, emblicorum aqua buglossæ elotorum quousque ab eis amaritudo amoueat, cuiuslibet Vnc.med.Radicum tassi barbasi.drach.vi.zinziberis, cinnamomi, galangæ, nucis muscata, de quolibet scropulos duos, ameos, spicæ, squinanti, cuiuslibet scropulum unū, scorix ferri præparatæ.drac.vi.penidiarum.Vnc.iiii.zucchari ut expedit, & efficiatur mixtura.

Et hæc sunt salutaria remedia, quæ pro sanitate D. T. pronuntianda erant, Quòd si lumine superiori adiuta, optimum assequantur finem, omnipotenti gloria tribuetur. Sin uerò nobis non deerunt uix aliæ, quibus sanitatem tuam amplecti poteris, ad illius gloriam, qui nos gubernat &c.

Benedictus Victorius Fauentinus sic Dixit,  
dum in Patauino Gymnasio medicinae Theoricam primo loco profiteretur.

FINIS.



YYY il



AD SANGVINIS PROFLUVIUM  
è sede.

Pro Illustrissima Domina Maria.

Saluiata Medicea,

Consilium XXXIII.



Illustrissima Domina Maria Saluiata De Medicis suæ ætatis annum quadragessimum secundum, temperaturæ sanguineæ cum notabili cholere mixtione duobus iã peractis annis, profluuio sanguinis per sedem corripitur, quod non continue eam perturbat, sed inordinatis periodis modo eam quietat, modo eandem inuadit, & molestat. Eadem quoque Illustrissima Domina tenetur distillatione qua irruit materia à capite tum subtilis, tum crassa, in utroque tamen modo substantiæ insipida, dum & hæc eadem D. non immunis sit à flatuosis doloribus alui.

Nempe Illustrissima hæc Domina, cum isto cruenti fluxu per sedem inordinato euentu ordinatos menses nunquam deperdit, sed ubi ipsa mensibus teneretur, & ei cruentus per sedem fluxus superueniret, menses ipsi minores fiebant, à quibus duobus fluxibus uidelicet, & per sedem, & per menses quamuis diminutis nunc temporis tenetur suarum facultatum debilitate dum modo experientia cõuincitur, quod ubi menses illi cruento, per sedem fluxui, superuenirent, sensim menses abolerentur. Qui duo fluxus Illustrissimam hanc Dominam absque dolore inuadunt, nulla quippe apparente durtie, uel grauitate iecinoris, & splenis, aliorumque membrorum naturalium.

Sanguis uerò per sedem exiens, tunc temporis admodum



dum aquosus inuenitur, & minoris quantitatis nullis fecibus mixtus, ueluti & urinæ nunc temporis tenues, & aquosæ, minorisque quantitatis minguntur.

Indicia autem futuræ menstruorum eruptionis, atque fluxus sanguinis per sedem, Illustrissima hæc Domina asseruit esse dolores quosdam locum pectoris occupantes, tribus ante diebus, modo ad dextrum, modo ad sinistram aliquando uerò in medio pectoris perceptos, qui cum locum pectinis attingunt, confestim menses referantur.

Hæc sunt, quæ de affectibus Illustrissimæ D. Mariæ de Medicis ex informatione suorum excellentium medicorum ad nos delata, facile accipere potui.

In quibus affectibus Illustrissima hæc Domina à nobis salutaria perquirat auxilia. Cuius uoluntati obtemperando illius bonitate, & fauore, qui nos regit, & nostra corpora gubernat, dicam, quæ mihi magis idonea præsidia uidebuntur, ut eius sperata conducatur sanitas. &c.

#### CVRATIO.

**O**mnium affectionum curationis scopus tribus perficitur instrumentis, auctore Galeno in libro de partibus artis medicatiuæ, summa secunda, capite secundo, & in libro experimentorum, capite ultimo uidelicet, uictus ratione, medicinarum exhibitione, & manuum operatione, cui sententiæ alludit Auicenna quarta primi capite primo. Idcirco omnium trium instrumentorum exercitationem exacte perficere deberem, præsertim rationis uictus, cui medicus primo hærare debet, auctore Galeno undecimo, methodi, capite quinto, sed quoniam non fugit me Illustrissimam Dominam regi, & gubernari ab Excellentibus medicis in uictus ratione bene edoctis, ideo in ea uictus rationem sub silentio præteribo. Quoniam etiam hæc longiori indiget tempore, & maiori scribendi ocio, non mihi per nuncios D. suæ Illustrissimæ concessa.



C O N S I L I V M

D E A E R E .

**A**ttamen aerem negligere nolo, propter Galeni uerbum tertio, artis medicæ, commento decimo, &.xi. & tertio methodi, capite octauo, & nono, non longe à fine ubi ait, Ambiens uerò is est, sine quo neque morbus tolli, neque sanitas teneri potest, & libro primo de tuenda sanitate, non modicam expedit uim ipsius tuendæ, atque inducendæ sanitatis in boni aeris electione. Sanè igitur purum aerem sibi conducatur, & clarum, ne impuritate, & crassitie cerebrum offendat, & superfluitates multiplicet, & spiritus flatuosos progignat, quorum alterum distillationes adauget, alterum uerò flatuosos conducit dolores, à quibus duobus hæc Domina satis corripitur. Et ob hoc dixit Galenus primo, de tuenda sanitate, optimum aerem cæseo, qui prorsus sit purus. Idem etiam in actiuis sit temperatus, uel non multum ad frigidum tendens, quoniam suæ D. natura indiget retentione, quæ frigido perficitur, non tamen admodum frigidus sit, aer, ob dictum Galeni quinto aphorismorum, commento uigesimo quarto, ubi ait frigidum partibus thoracis inimicissimum, & ex capite distillationibus in thoracé offendit. Et non sit ualdè frigidus, quoniam tempore magni algoris fluxus sanguinis per sedem uidelicet, hyberno tempore Illustrissimam Dominam corripuit. In passiuis uerò uergat in siccum, quoniam omnes sui affectus sicco corriguntur. Consulo igitur Illustrissimam hanc Dominam instantem aerem mutare, & in comitatu sui domini, idoneum locum perquirere. Cuius aer in actiuis parum ad frigidum declinet, in passiuis satis ad siccum, & illo loco habitandi usum persepe sequatur. &c.

D E V I N O .

**C**onsulo quoque Illustrissimam hanc Dominam propter timorem de flatuosis doloribus, à quibus in al-



uo saepe turbatur, & in stomacho fortè, ab aquæ potu omni administratiõe cauere. Sit igitur eius potus uinum subrubeum, pauciferum, in quo uirgæ auri duri ignitæ pluries extinguantur, & plus laudo extinctionem calibis in eodẽ, de reliquis autem ad rationem uictus attinentibus, relinquo suis doctis medicis, & de secundo instrumento sermonem faciam, ut facilem profligandi morbum uiam habeamus.

Offertur igitur mihi per delatam informationem Illustrissima Domina Maria de Medicis, quæ fluxu sanguinis per sedem corripitur, ut supra enarratum fuit.

Nempe dico cum serapione in suo breuiario, quoniam plures medicorum non possunt decernere ægritudines, propter quas fit sanguinis per annum excretio, oportet quod denudemus sermonem in illa.

Ob hoc sanè considerandum censeo, nunquid sanguis in Illustrissima D. eruptus per sedem ab epate fuerit, ut à loco læso, aut ab intestinis, aut ab hæmorrhoidibus, hæc enim conueniens est curationis methodus uidelicet, morbum cognoscere, auctore Galeno primo de ratione uictus acutorum, commento tertio, & dixit Auicenna non curabis ægritudinem, nisi cognoueris eam.

Cui dicendum primo sanguinem illum non fore ab intestinis ita, ut intestinalis dysenteria uocitetur. Quoniam ut uoluit Galenus sexto, de locis affectis ad principium, ante horam erupti sanguinis per sedem, adest dolor, & intestinorum tormenta in dysenteria intestinali, sicut in Illustrissima D. non apparent, ut ex informatione cognoui. Item dixit Galenus primo, de locis affectis. Dysenteria est uulnus intestinorum scilicet dolor, & nocumentum in initio generatur à quadam materia pungente, per intestina transeunte & cet. Et eandem sententiam uoluit Auicenna. XVI. tertii ob hæc igitur mihi suadeo fluxum hunc cruentum per sedem non esse intestinale dysenteriam.

Minusque



Minusque mihi suadeo Illustrissimam hanc D. pati fluxum illum sanguinis ex hæmorrhoidibus, si informatio mihi delata mutilata non fuerit. Non enim indicia sufficientia ex ea habere possum, quibus possim iudicium firmare, sanguinem illum per hæmorrhoidas erumpere, quæuis enim sine dolore fluat, idem contingit in fluxu sanguinis ex epate, & sanguinem ex hæmorrhoidibus fluere sine dolore est cum hæmorrhoides naturaliter fluunt, ut. XVII. tertii dixit Auicenna de quo nullam certitudinem ab informatione habui. Item patientis hæmorrhoidas, indicia satis certa, & comprehensibilia sunt, quoniam uisu, & tactu, si extra fuerint, ut dixit Auicenna de hoc autem informatio nihil attulit, si uerò intus fuerint cum dolore, & conatu aliquando exhibit sanguis. Exit autem sanguis sine dolore, ut aiunt, neque perturbat me illud quod dicitur uide licet, sanguinem illum nullis fecibus esse permixtum, quoniam & hoc in epatico fluxu contingit.

Nempe igitur ex his conuincere possum fluxum illum per sedem cruentum in Illustrissima hac D. ab epate, & illius uitio originem trahere, si credimus Galeno sexto de morbis, & symptomatibus, & sexto de locis affectis, & Auicennæ. XIII. tertii. Venit enim sine dolore, & punctura & sine rasura, & subito uenit, & non continuat, immo habet periodos, & uenit sanguis impermixtus fecibus, quæ omnia pro confesso habemus ex habita informatione.

Huius autem cruenti fluxus epatici causam puto fore multiplicem, primo potuit esse illa, quam dixit Galenus sexto de morbis, & symptomatibus, quoniã sua Dominatio potuit ocio regi, & sanguine impleri, sicuti in bene reficientibus contingit, & pauco utentibus exercitio, immo consuetum dimittentibus, tales enim superfluo inquit Galenus implètur sanguine, & natura superfluo grauata, pellet de illo sanguine superfluo aliquam partem ad epar per easdem uias per quas iam ab epate transiit ad membra,



& epatis natura sentiens se grauatam sanguine illo, superfluo, illum pellit ad intestina, & ad sedem. Huius autem causæ indicium habeo, quoniam Illustrissima hæc D. ante annum M D XXXVIII. & cum iuuenis erat ob rubedinem faciei, non ei dilectam crebris, & à diuersis partibus sui corporis utebatur sanguinis missionibus. Quòd si fortè his non usa fuisset, tunc temporis D. sua in hunc incidisset fluxum ob superfluum tunc sanguinem multiplicatum, forte autem ab huiusmodi sanguinis missionibus se abstinens post annum M D XXXVIII. in hunc incidit cruentum per sedem fluxum, qui cum longo perdurauerit tempore, altera sui ipsius conduxit causam, quæ est debilitas primo uirtutis naturalis concoctricis epatis, quia non generat bonum sanguinem, sed ut aiunt, sanguinem admodum aquosum, secundo uerò uirtutis retentricis nõ enim potens epar sanguinẽ retinere, ipse derelictus ab opere naturæ epatis, fluit ad uiam, quã ex longitudine morbi sibi assuetam fecit, uidelicet, ad intestina, & ad sedẽ, quo fit, ut fere continue ex his multũ uel aliquid sanguinis fluat, & ex hac secũda causa facile potest haberi tertia, quæ est obstructio epatis in Illustrissima D. facta à debilitate uirtutis naturalis generantis crassas superfluitates, uias epatis obstruentes, propter quã sanguis ille quoquo modo genitus in epate, non potest ad mēbra penetrare, fluit igitur ad intestina, & aliquando multum, & aliquando parum per sedem fluit, & durũ est credere, quòd ægritudo hæc, quæ tam longam traxit moram, nullam ex parte epatis grauitatem, uel tēSIONem, uel duritiem progenuerit, præsertim cum iam agitur annus, quo in Illustrissima D. ut aiunt, & oculi, & facies, & tibiæ tumuerunt. Quæ omnia indicant epar uitiatum fore, auctore Galeno & Hippocra. secundo prædictionum libro.

Quoniam autem morbi curatio consistit in remotione causarũ illius ut dixit Gal. iii. artis medicinalis, & secundo aphorismorũ com. XXII. Ideo huius Illustris. D. cruentum



per sedem fluxum corrigemus per abolitionem causarū, quas iam diximus. Et quoniam non est ægritudo recens, & in principio, sed in processu, & diuturna iam facta. Et ob hoc in ægritudinem frigidam transiuit, auctore Galeno in commento illius aphorismi secundæ particule, acutorum morborum &c. Non audeo loqui supra sanguinis missionem, & si hæc Domina in præteritum assueta fuerit. Timens ego ne naturalis uirtus epatis sanguificatiua ad maiorem duceretur imbecillitatem, & eiudem temperatura maiori frigiditatis gradu occuparetur ex sanguinis missione. Et hæc Illustrissima D. ob id facile posset hydropi occurrere, in quam ex isto affectu satis parata est, consulo igitur, ut sanguinem cōseruet pro thesauro suæ uitæ. Iterum consulo, ut eius curatio non fiat cum rebus, quæ obstruendo adstringunt, ut docet nos Auicenna. XIII. tertii, & XVI. tertii, ubi dixit. Et multotiens quidem linit insipiens epar in hac excretionem, cum inspissantibus sanguinem, & extinguentibus epar, per hoc, quod sunt frigida, & in hoc est mors, & præparatio putrefactionis. Et. XIII. tertii. Et uehementior error eius est, qui retinet eos, cum oppilatiuis cōstrictiuis, & dixit. XVI. tertii. Immo oportet cum sciueris, quod causa in ipso est oppilatio in epate, & meseraica, ut intendas cum apertione obstructionis, & post dixit, & quando est excretio sanguinea epatica, tunc non oportet, ut retineatur de subtus aliquid noxium, & accidat per illud nocumentum, & melioretur regimen desuper.

Vbi uero sanguinolenti exitus per sedem ab epate causa fuerit debilitas uirtutis retentricis epatis, cui associetur debilitas concoctricis perficiatur curatio cum stipticis aromatibus roborantibus utramque uirtutem.

Intendendo igitur causæ opilatiuæ epatis. Consulo primo, ut dixit Auicenna XVI. tertii, ut statuatur debitum regimen in cibo, & potu, & aliis sex rebus non naturalibus quod, ut dixi, suis excellentibus medicis relinquo.



Vnum tamen dico, quod omnes eius carnes elixæ sint, potius quàm tostæ, in quibus continuæ bulliant passulæ pingues, & herba illa, quàm millefolium appellamus, immo laudo, quod de ista herba comedat etiam cum pane tempore æstatis cum recens fuerit, in hyeme uerò in elixatis cibis, & in ea benè expertus sum, & contulit. Et expertus sum, quod ubi Illustrissima D. in prima mensa primo potaret. Vnc. iii. iusculi cicerum rubeorum decoctionis millefolii, cum modicissimo cinnamomo, multum cõferre. Laudo quoque, ut Illustrissima hæc Domina loco moderati exercitii leuibus frictionibus utatur à scapulis infra antea quàm mane, & uesperis cibum inglutiat. Dico autem hoc supposita uirtutis consistèntia, quam ex informatione non satis bene potui concipere, faciunt enim, ut moderatum exercitium ad obstructionum apertionem, & trahendo à centro ad circumferentiam auertit sanguinem à fluxu ad intestina frictione uocatum ad exteriora, & hoc est, quod dixit Auicenna. XIII. tertii, & non denudetur patiens epatis oppilationem à frictionibus ipsis. Quo autem ad exhibitionem medicinarum per os, consulo primo, ut minoretur materia, faciens oppilationem epatis cum medicina eam soluente ut infra. Recip. Reubarbari electi, drach. ii. infundatur in aqua decoctionis passularum pinguium, & millefolii per noctem, deinde facta forti expressione dissoluatur cum eadem aqua, & apud diluculum Illustrissimæ patienti detur. Deinde consulo, ut digeratur materia faciens oppilationem cum præsentia cruenti fluxus sanguinei per sedem, uel sine cum sequenti syrupo, mane in aurora exhibito, & uesperis per tres horas ante cibum. Recip. succi citoniorum, succi millefolii, ana. Vnc. iii. sem. acetosæ, sem. endiuia, sem. plantaginis, ana. drach. iii. Corticum mirabolanorum citrinorum Vnc. med. bulliant in suffi. quan. aquæ usque ad consumptionem tertiæ partis, deinde coletur, & colatura cum zuccharo albissimo

ZZZ ii dulcoretur



dulcoretur, de quo, Recip. Vnc. i. & med. syrupi de cicorio cum reubarbaro. Vnc. med. aquæ decoctionis cicorum rub. vnc. iii. misce pro una uice, continuato uero syrupo per. vi. dies, consulo, ut septima die purgetur cum sequenti pharmaco. Recip. folii buglosi, folii boraginis, rosarum rubeorum, ana. Manipul. med. sem. endiuia, sem. plantaginis, ana. drach. ii. corticum mirabulanorum citrinorum. Vnc. med. passularum enucleatarum, drach. ii. bulliant in suffi. quan. aquæ calibeatæ usque ad consumptionem tertiæ partis, deinde facta forti expressione coletur, & cum colatura dissolve reubarbari electi parum torrefacti. drach. ii. & fiat potus, qui Illustrissimæ patienti exhibeatur apud auroram, facta uero hac secunda euacuatione. Laudo Illustrissimam Dominationem suam quolibet mane tribus horis ante cibum capiat. drach. ii. infra scripti electuarii, ipsum autem cum confidentia capiat, & continuet, quoniam in fluxu hepatico est de optimè conferentibus, & est expertum, Recip. passularum pinguium Vnc. ii. epatis, lupi, Vnc. i. succi millefolii, uel herbæ si succus haberi non possit, drach. ii. omnia insimul benè contendantur, deinde adde reubarbari electi subtiliter puluerizati, drach. ii. & cum zuccharo albissimo quan. suff. fiat electuarium.

Item consulo Illustrissimam D. suam omni hora diei sorbere duo, uel tria coclearia infra scriptæ mixturæ. Recip. corticum radicum asparagi, rusci, verbenæ, passularum, dulcis radicis, ana, Manipul. med. sem. portulacæ, sem. acetosæ utriusque torrefa. sem. plantaginis, spodii, granorum myrthi, ana, Vnc. i. & med. coquantur in tribus libris aquæ fontis claræ usque ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & colaturæ adde uini citoniorum Vnc. iiii. & Vnc. i. zucchari optimi fiat mixtura.

Consulo iterum Illustris. D. quolibet uesperis in ingressu lecti capere unam de infra scriptis pillulis. Recip. trociscorum de reubarbaro recentium. Trociscorum de spodio, cum sem. acetosæ



acetosæ ana. dra. i. trociscorū de carabe. dra. med. puluerizē-  
tur subtiliter, & cum succo citoniorum fiant pillulæ. XII.

Post multa, quoniam audio Illustris. D. extrinsecus usam  
fuisse balneo de uilla comitatus lucani, & per certum tem-  
pus bene habuit, igitur considerata temperatura aquæ bal-  
nei de uilla, & omnibus consideratis quæ se tenent ex par-  
te suorum morborum, & plus considerato quod dicitur  
ab Auicenna in secundo canone cap. CCLII. de uino, & aqua  
ferreis, lata mente dico Illustris. D. post conuenientē pur-  
gationem præsentis anno potare aquam de la uilla, esse præ-  
sidium illi peridoneum, cum in simili casu aliàs, in aliis ex-  
pertus sum, & bene habui, uerum nedum consulerem Illu-  
stris. D. aquam illam potare solum, sed illius etiam tunc tē-  
poris balneo uti, cum unum alterius operationem perfici-  
at, & plus iuuaminis suæ Illustris. D. continget in morbo  
cruenti fluxus, quā fuerit nocumentum, quod euenire po-  
terit, ob destillationem, uel flatuosum dolorem.

Ultimo attingendo tertium instrumentum, consulo de  
præsidio quod puto Illustrissimæ suæ D. fore admodum  
utile, tum deriuando, tum diuertendo, & euacuando, opti-  
mè etiam conferente dolori flatuoso intestinorum, & di-  
stillationi materierum à capite, & est, ut præcedente purga-  
tione duo conducantur cauteria in ambobus cruribus in-  
fra genu, per quattuor digitos, uel quinque intra duos mu-  
sculos in parte syluestri, & teneantur aperta, ad ea enim à  
toto corpore, mali conducuntur humores, ut dixit albuca-  
sis. Et his puto auxiliis Illustriss. hanc Dominam ad illam,  
quam iam habuit sanitatē fauente Deo peruenire. adhuc  
stante manca, & mutilata informatione, quam de morbis  
Illustrissimæ suæ D. habuimus. &c.

Ita consuluit

Benedictus Victorius Fauentinus in Gymnasio

Bononiensi primus ex ordine medicinae

practicæ professorum.



IN SUPERFLVENTE SANGVINIS

hæmorrhoidalis profluvio & renalis calculi non paruo cruciatu, ac mentis pauore.

Pro Pantaleone Fontano Iurisperito,

Consilium XXVIII.



Btulisti mihi corpus Excellens Pantaleonis cuiusdam Fontani Iurisperiti temperaturæ quippe cholericæ, non immunis tamen à pituita, & melancholia, quòd fluxu sanguinis hæmorrhoidalis superfluentis aliquoties corripitur, quod unà simul non mediocri molestia renum calculo laborat.

Patitur quoque mentis timorem, ob memoriam sui genitoris, ne in morbum concidat attonitum, quem apoplexiam uocant.

Certè Doctor Excellens, propter ea, quæ ab Hippocrate sexta particula aphorismorum habentur, ubi ait. Atra bile uexatis, & renum passionibus hæmorrhoides superuenientes bonum, non possum aliter coniectari, nisi quod huius Excellētis Doctoris affectiones sunt admodum formidolosæ & curatu difficiles, cum quæ solent iuuare non iuuerint, proculdubio formidolosa est prognosticatio. Solet enim hæmorrhoidarum fluxus calculo renum succurrere, quod in isto nequaquam contingit, cum molestia enim, & renum calculo una simul hæmorrhoidarum fluxu corripitur. &c.

Altera nempe ex parte opinor morbum attonitum uerendum, atque timendum in isto nobili Doctore, cum audiuerim ipsum sæpius corripitur profluvio sanguinis hæmorrhoidalis



morrhoidalis, quo facultas primi principii debilitatur, atque in frigidatur, pituitaque in eo progignitur, quæ accumulata in meatibus cerebri, facile morbum attonitum conducet, his tamen non obstantibus concrefcit fiducia, & spes futuræ salutis, si corpus in uigenti, & uiridi ætate constitutum est, Quòd per literas tuas minime accepi. &c.

Salutaria igitur remedia, atque præsentanea, quæ mihi uniuerfalibus præcedentibus occurrunt, de diætâ uidelicet, atque concoctione materiæ, & eius euacuatione, hæc sunt.

Ad superfluum fluxum hæmorrhoidarum consulo, ut natura assuescat ad oppositam regionem, quòd bis in septimana sanguis mittatur à superioribus uenis, scilicet à duabus basilicis lateris dextri, & sinistri, una quippe die à basilica lateris dextri, altera uerò die sinistri, sanguis, qui extrahitur pro uice non excedat duas uncias, & sic continuarem ego per mensem unum, omni septimana bis sanguinem mittendo.

Ad idem quotidie mane, & uesperis diluere hæmorrhoidas cum sequenti dilutione frigida tamen, expertum est.

Recip. limaturæ ferri bene mundi Vnc. vi. Radicis consolidæ minoris minutissimè tritæ, Vnc. ii. bulliant simul in libris sex uini nigri stiptici usque ad consumptionem medietatis, deinde coletur, & cum colatura fiat ablutio diætâ simul abluendo totam dorsi spinam usque ad regionem superiorem renum, caueat tamen Excellentia tua, ne impetuose, & repente hæmorrhoidas claudat, ne contingat error aliquis, de quibus dixit Hippocrates, in sexta particula aphorismorum, ubi ait, à diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si una non seruatur. &c.

Ad idem, & est expertum, si patiens quolibet mane stomacho uacuo capiat unam de infra scriptis formulis bibendo immediate super ipsam haustum uini nigri stiptici decoctionis radicis consolidæ.

Recip.



C O N S I L I U M

Recip. Reubarbari optimi, & electi. Reupontici, an. scro.  
i. corallorum rubeorum, seminum rosarum rubearum, se-  
min. acetosæ. an. drach. med.

Spodii, charabe litii. Terræ sigillatæ optimæ, ana. scrop.  
med. Torrefiant omnia paululum, & subtiliter puluerizē-  
tur, & cum zuccharo dissoluto in uino citoniorum quan-  
tum sufficit, fiat cōfectio in rotulis, duarum drachmarum  
pro qualibet &c.

Ad idem, & est expertum, Recip. puluerum trociscorum  
de charabe. Vnc. i. adipis hircini. Vnc. med. succi radicum  
consolidæ, uel pulueris. drach. i. ceræ quantum sufficit cum  
modico oleo mirthino fiat unguētum, quo ungatur à me-  
dio infra tota spina dorsi usque ad caudam, ungatur & hæ-  
morrhoides relinquendo unam apertam. &c.

Ad tollendam uerò calculi generationem, & ipsius cal-  
culi generati educationem cum urina remedium tale est, &  
expertum. &c.

Recip. lachrimi terebinthinæ drach. ii. succi limonis a-  
cerbi. Vnc. i. uini maluatici. Vnc. ii. misce, & detur patienti  
in potu. &c.

Ad idem, & est expertum, ualet quoque in dolore uehe-  
menti. Recip. pulueris foliorum mori celsii, pulueris ossiū  
mespilorum, ana. drach. i. pulueris lapidis inuenti in capi-  
te cancrorum. drach. med. dissolue pulueres istos cum suf-  
ficienti quantitate aquæ saxifragiæ, & detur patienti in  
potu. &c.

De eo timore Excellentis Doctoris ad morbum attoni-  
nitum. Certe uictus ratio modesta præseruabit ipsum à  
tali timore dum tamen bis in septimana per septem ho-  
ras ante cibum capiat infra scriptum bolum. &c.

Recip. Mithridati optimi. drac. i. & med. pulueris cranei  
humani. drach. med. zuccari rosati, drach. i. misce, & fiat bo-  
lus, & patienti detur. &c.

Quod autem de aquis mineralibus conuenisti me, quæ  
scilicet



scilicet earū cōueniens sit, in calculosa affectione, atq; renū dolore, & superfluo hæmorroidarū fluxu. Dico oēs aquas calidas, mineramq; calidā habētes sunt cōtumaces, primo quoniā attenuant, & aperiunt, & hoc nō patitur sanguinis fluxus hæmorrhoidarū. Secundo quoniā tēperaturam calidā adaugēt, neq; hoc uult calculosa renū affectio, ob quā rem sulphureæ aquæ, atq; aluminosæ, nitrosæ, salsæ, atq; bituminosæ in casu isto minime sunt conuenientes. Quod si forte fortuna in partibus tuis naturales thermarum aquæ inueniantur, quarum natura sit alteratiua ad frigidum mēbrorū generationis unitiua, atq; uiarū plus opportuno lartarum adstrictiua, & quippe in casu Excellentis Doctoris admodū idoneæ sunt, ueluti sunt aquæ ferreæ naturæ, & argentæ, non fugio aquas naturæ aureæ, cum non recedant à temperamento in aliqua primarū qualitate, & hæc sunt Doctor Excellens, quibus uolui obtēperare affectionibus tuis, offerēs me ad maiora semper paratissimum. Vale.

## FINIS.

## AD COXENDICVM DOLOREM,

ubi etiam aderat timor, ne

asthma superueniret,

Pro Nobili quodam Germano

Consilium XXXV.



Ixit Gale. in nono de morbis curandis cap. xv. & in secundo de temperaturis, capit. vi. Temperaturā ægrotantis, & membrorum eius esse præmittendā, hoc aut fieri nequit, nisi ægrotans ipse fuerit medico domesticus, & familiaris, aliter enim ægrotantis

AAAa temperaturam



temperaturam, admodum cognitione difficilem putauit Galenus, ut supra. Dixit enim haly. secundo artis medicæ, Medicum esse sensualem artificem. Ideo sensu ipso indicia ægritudinis debet dignoscere manu ducentia ipsum in cognitionem ægritudinis, sed dicā ego, quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognoui, neque ex aliquo firmam habui notitiam, neque de temperatura eius, neque de indi-  
ciis significantibus super eam? Quo fit, ut non possim aliquid de eius temperatura recensere, & suorum membrorum, nisi quoniam ab aliquo accepi, eius corporis habitudinem musculosam esse cum capillis aliquo qualiter crispis, & cum multitudine pilorum in barba non fugientium aliquid ipsius crispitudinis, & quantum ad motum eius esse uelocis incessus, & quantum ad animi passiones esse ipsum ægrotantem promptum ad iram, quo fit, ut ipsius naturalem temperaturam uergere ad cholericū non dubitarem, Dicam igitur, quod offertur Nobilis quidam, & Magnificus Germanus, omni quippe uirtute præditus, præclarusq; & celebris, ætatis. LX. annorum, uel circa, temperaturæ quidem cholericæ, qui aduersa fortuna tenetur dolore coxæ dicitis cum uehemēti timore ad casum in asthma, ob quam rem, ut Nobilitas sua à præsentī morbo curetur, & à futuro, quem timet, præseruetur, huius nostri salutaris consilii duo proponemus capita. Primum caput erit curatiuum illius doloris coxæ, quo actu molestat. Secundum uerò caput erit præseruatiuum à futuro Asthmate, quod sua. N. non sine causa futurum timet.

Quantum igitur ad caput primum. Tria in curatione præsentis doloris sciatici percurremus, primum essentiam morbi, & eius causas cognoscere conabimur, iuxta sententiam Galeni primo, de ratione uictus acutorum, commento tertio, & primo artis curatiuæ ad Glauco. capite primo, ubi ait, quod oportet medicum prius ægritudinem cognoscere, quam uult curare, & idem dixit Auicenna, prima  
quarti,



quarti, cum dixit, & non curaueris morbum, nisi cognoueris ipsum. Et quoniam morbi curatio pendet ex cognitione causarum eius, ut dixit idem Galenus loco, ut supra. Ideo merito cum cognitione morbi, eius causas percurramus, secundo uerò aliquid pronosticationis afferemus de termino morbi, quo Nobilitas sua tenetur. Tertio, uerò morbum ipsum curare conabimur. Quod si Nobilitas sua salutaria nostri præcepta obseruabit, proculdubio putamus Deo fauente ad primam sui salutem reuocari.

ob Laborat igitur Nobilis hic Dominus dolore sciatico, quem ornatè loquentes appellant coxendicum dolorem, & est dolor sciaticus, ut dixit Auicenna. fen. uigesima secunda tertii, de summa dolorum iūcturarum, & est dolor, qui incipit à iunctura anchæ, & descendit retro ad coxam, & quandoque extenditur usque ad genu, & ad calcaneum, & quandoque protenditur usque ad digitos, & hanc sententiam uoluit Galenus secundo methodi curatiuæ non longè à principio, ubi dixit. Ischyas. i. coxendicum morbus. Idem quoque sensit Hippocra. sexto aphorismorum quinquagesimo nono. Idem quoque Galenus, in libro de definitionibus medicis. Vbi ait. Coxarum dolor diuturnus ad usque poplites, & suras consequitur. Cuius doloris coxendicis intensionem mensurauit Auicenna, secundum quantitatem materiæ, & eius maiorem extensionem, nam quanto plus intenditur dolor, & extenditur, magis uersus inferius secundum longum, etiam secundum latum, cum intensione doloris arguitur maior quantitas materiæ aggrauantis, & dolore afficientis crus, quo dolore, & præsentia materiæ aliquando luxatur, & resilit uertebrium à loco suo, & tunc est cum priuatione ambulationis. Quod si est sine resilitione claudicant in eundo, iuxta sententiam Hippocra. sexto aphorismorum sexagesimo, aphorismo. Et hanc sententiam longiori sermone declarat Galenus, commento sexto.



3  
C O N S I L I V M

Huius autem coxendicis doloris causas procatharticas seu primitiuas afferre non possum, cum non fuerim ego neque à patiēte, neque ab aliquo informante introductus in his causis procatharticis, de quibus certè non est habenda magna sollicitudo, licet aliquo modo cōferant & ad morbi cognitionem, & ad eius curationem, ut dixit Galenus, in libro de procatharticis causis.

Causas uerò istius morbi præcedentes, & contentiuas tantum aggrediar, & in hoc etiam procedam eas inueniēdo causas, à quibus secundum plurimum huiuscemodi dolores contingunt, cum alias præcedentes causas, quæ multæ in Nob. sua potuerunt esse, tangere non possum, cū omnino ab informatione sim expoliatus, & non nisi certificatus Nobilem uirum pati coxendicum dolorem.

Dico igitur quod huius coxendicis doloris præcedens causa est materia pituitosa, uel quæ sui multitudine, & debilitate contentiuæ cerebri, irruit ab eo ad partem scia, & plenitudo eiusdem humoris in toto, quæ ad crus tâquam ad debiliorem locum à toto delegatur. Hoc autem mihi declarat patientis ætas, iam enim Nobilitas sua constituta est in ætate senili, in qua plurimum pituitosæ humiditates progignuntur, licet illi pituitæ permisceatur aliquid cholerae quo moueatur, & currat ad membra, est enim pituita de sui natura immobilis, quoniam frigida. Hanc sententiã uoluit Auicēna. XXII. tertii, tractatu. II. cap. V. ubi ait. Et plurimum quidem fit à phlegmate cum cholera. Deinde à crudo, deinde à sanguine, postea à cholera, & rarò fit à melancholia. Idem uoluit Galenus tertio aphorismorum, commento uigesimo secundo, ubi ait. Coxendicum autem dolores ex malignitate humorum, & frigiditate fieri par est, & eandem sententiam uoluit Galenus sexto aphorismorum, commento. LIX. ubi dixit. Sæpe in articulis humor pituitosus aceruatur, quem mucorem appellant, & commento LX. ubi dixit. Quod si ob multitudinē mucoris extra suū  
locum



locum diu coxa steterit, est quidem iam hoc cruris claudicatio. Dico etiam in isto Nobili Domino catarrhum esse concausam huius doloris sciatici, declarat autem mihi, cū eadem materia pituitosa, quæ ui reumatismi irruit ad partes coxæ, aliquando eius pars delegatur ad membra anhelitus, quo fit, ut in eo difficilis fiat respiratio, ob quam accidit ei timor, ne in posterum asthma teneatur, & hoc dixit Auicenna ut supra, ubi ait. Et causæ diuisionum huius sunt catarrhi, & coryzæ.

Causa uero coxendicum doloris coniuncta est, ut dixit Galenus in libro de diffinitionibus medicis, quæ cum præsens est, eius quoque effectus adest, cum uero desinit, etiam effectus euanescit, ob quam rem pituita præsens in articulo coxæ delegata ab ea usque ad calcaneum, uel ad digitos causa est coniuncta ipsius doloris coxendicum.

Quod autem de termino huius morbi prædicendum sit, sermonem faciam propter illud, quod dixit Galenus, in primo de ratione uictus acutorum, commento tertio, ubi ait. Prognosticationem magna afferre commoda ad morbos ipsos curandos. Et hanc sententiam uoluit Hippocrates, prima particula prædictionum. Primo igitur dico coxendicum dolorem factum diuturnum, dissolutu difficilem esse. Dixit hoc Galenus in libro de diffinitionibus medicis, ubi ait. Coxarum dolor diuturnus dissolutu difficilis est, tum etiam quoniam propter ætatem senilem augmentatur causa doloris sciatici, & decrescit uirtus naturalis membri ad illam corrigendam, uel pellendam, cuius oppositum contingit in ætate iuuentutis & cum dolor coxendicum incipit esse.

Dico secundo, quod si iuncturarum ægri tudines confirmantur, & fiant consuetudinariæ non curantur, maximè illæ, quæ generatæ sunt ex humoribus diuersis. Intelligo hoc secundū plurimum, quoniã & ratione, & experimēto salutaris medici prudentis cū dei auxilio, uidi multos à dolore coxendicum



coxendicum liberatos fuisse.

Dico tertio, quòd cum Dei gratia Nobilis patiens liberatus fuerit à dolore coxendicum, tunc uti debet Regimine conuenienti, ne iterato in ipsum eundem dolorem incurrat, & dico hoc, propter dictum Auicennæ, uigesima secunda tertii, ubi ait, quod dolores iuncturarum, quæ sunt præter sciaticam, cum curantur, & eradicantur, eorum materiæ non redeunt uelociter. Sciatica uerò, & podagra, cum curantur, & eradicantur, eorum materiæ sunt ex eis, quæ redeunt uelociter, qualibet ex causa.

Quarto dico, quòd si coxendicum dolor in Nobili patiente fuerit in coxa sinistra, tunc dolor super ipsum erit uehementior, & deterior, & dissolutione difficilior. Dixit hoc Auicenna uigesima secunda tertii, & huius rationem, quoniam à fortiori prouenit causa, quæ cum difficultate propter stricturam uiarum ad articulum coxæ, & genu, & calcanei, & digitorum pedis penetrare ualet.

Quantum uerò ad curationem uno trium utar instrumento, uel pluribus, sicut nos docuit Galenus, in libro de partibus artis medicatiuæ, & Auicenna quarta primi, ad principium instrumenta enim medicationis tria sunt, uidelicet, uictus ratio, & medicinarum potatio, & manualis operatio. Et quoniam uictus ratio nobilissimum instrumentum est cæteris, ideo ab eo initium faciemus.

Sit igitur eius panis, quem in communi esu edit de flore farinæ, quoniam optimi nutrimenti est, & non grauitat naturalia, & citius permeat, & non sit panis unius diei neque calidus, quoniam sui recentia, & caliditate natat in stomacho. Non sit admodum antiquatus, quoniam difficulter permeat, & malos adgenerat chymos. Non sit admodum fermentatus eius panis, quoniam sui acetositate nocet stomacho, & articulis, & sit panis duorum dierum uel trium ad plus, & non multum salitus, quoniam sal anxiatuum est, & capiti nocuum, ut secundo, de compositione medicamentorum



mentorum secundum locos, dixit Galenus, Et non sit admodum coctus panis, ita, ut crustacea ob arida sint interiora uero incocta, hic enim deterrimus est panis, & toti corpori contumax, hæc omnia uidebis à Galeno primo de potentiis alimentorum.

Vinum autem iuberem, ut nullo haustu gustaret, propter id, quod dixit Galenus quinto aphorismorum, commento illius aphorismi. Si quis repente obmutuerit. &c. Dixit enim uinum sua penetratione conducit superfluitates ad iuncturas, & neruos. Quo fit, ut per ipsum nocumēta in iuncturis, & neruis acquirantur. Quòd si eius desiderium fuerit ad uinum, utatur uino paucifero medi coloris inter album, & nigrum, & non dulce, non crassum, non nigrum, neq; subtile, album, tum propter incrassationem humorum, tum propter apertionem uiarum, qua conducitur facile materia ad iuncturas. Vbi enim patiens biberet loco uini hydromel decoctionis hyssopi, & saluæ, & modico cinnamomi non haberem pro inconuenienti, imo pro re satis idonea, D. suæ, & in curando morbum actuale, & in præseruando ipsum à futuro morbo asthmatico.

Et quoniam in causa uidetur esse materia frigida pituitosa, ideo caueat à cibis multæ superfluitatis, sicut sunt carnes bubulæ, arietinæ, & ouillæ, & ab omnibus piscibus, & fructibus humidis, & quantum sit ex parte doloris sciatici sufficiunt ei res assatæ, & carnes nemorum auium, quæ sunt pauca superfluitatis, & ideo conuenit eis caro pulli perdicis, fasiani, turturum, pullorum columborum, hædi, & aliquando uituli, dum tamen omnes illæ carnes condiatur cum origano, aneto, hyssopo, & saluia. Et generaliter D. sua utatur diæta attenuante, & in uesperis parcissime comedat, ne in hora somni uirtus naturalis concoctiua, à multo cibo grauetur, Quo fit, ut maior cibi pars in superfluum uertatur, caueat quoque D. sua à somno diurno,



no, in quantum possibile est, eo enim progignuntur multæ superfluitates in omnibus membris corporis nostri, & maximè in capite, à quo inde irruunt ad iuncturas earum dolores concreando. Caueat quoque à superflua uigilia, quoniam ea concoctio minuitur, quo fit, ut multæ superfluitates per uiam diminutæ concoctionis adgenerentur. Caueat quoque D.S. à superfluo exercitio, quoniam eo iūcturæ admodū imbecillens fiunt, ad quas postea confluūt multæ superfluitates tanquàm ad locum debiliorem, neq; submittatur multæ quieti, quoniam ex tercio, artis medicæ, causa est multiplicationis multarum superfluitatum propter impedimentum quod fit in opere uirtutis concoctiua.

Aer quoque D.S. declinet ad calidum, & siccum uel natura, uel arte, cum causa faciens morbum & præsentem, & quem timet futurum, sit frigida, & humida, iterum iubeo, quod teneat corpus suum mundum, & aliquando euacuatum, & fugiat omne genus repletionis nedum obnociæ articulis, uerum & toti corpori.

Ultimo iubeo D.S. lætari modestè quidem, quoniam uidaæ fiunt uirtutes, malas corporis humiditates superfluentes, dissoluentes, fugiat autem metum, & tristitiam, & non timeat multum de futuris, quoniam hæc sunt, quæ exterminant corpora nostra, & massam superfluitatum in corpore nostro progignunt. &c.

Secundum uerò instrumentum, quod est medicinarum exhibitio, sic compleatur. Cum enim in dolore coxendicū materia sit multum profundata in iuncturis, & secundum plurimum frigida, repercussua conferre nunquàm uidentur, uel quia materiam incrassarent, & redderent ipsam in dissolubilem, & ineuaporabilem, uel eam magis profunda rent, ob quam rem, relictis ipsis repercussiuis, si homo nimis sit plenus sanguine etiam cū aliis humoribus, iubeo phlebotomiam prius fieri de basilica, & si adhuc non sufficit



ficit fiat secundo sanguinis missio de sciatica exteriori in clauicula pedis. Vidi enim multos, in quibus aegritudo hæc non fuit diuturnata ab huiuscemodi dolore coxendicum prædictis phlebotomiis liberari, semper ad illas phlebotomias præponendo clystere lenitium, facta phlebotomia. Consulo, quod tēpore ueris, uel autumnii corpus purgetur præcedente prius concoctione in materia. Hanc sententiam uoluerunt Hippocr. & Galenus sexto aphorismorum, commento. LV. illius aphorismi. Dolores podagræ uere, & autumnio magna ex parte mouentur. Idem uoluit Auicenna uigesima secūda tertii. Iubeo igitur nobilem patientem capere prius apud diluculum sequentem bolum. Recip. floris cassiæ nouiter tractæ. drac. vi. specierum hieræ simpl. Galeni dr. ii. & med. betonice subtiliter puluerizate drach. i. misce, & fiat bolus cum zuccharo.

Sequenti uerò die per septem dies non intermittendo apud diluculum capiat infrascriptum syrupum.

Recip. syrupi de betonica, syrupi de hyssopo. an. dra. vi. syrupi de glyciriza oximellis simp. an. Vnc. med. aquarum betonice, hyssopi, cicorii, ana. Vnc. ii. misce pro una uice.

Quòd si tempore, quo syropos acceperit, non habuerit alui obedientiam, consulo, ut alternis diebus, faciat sibi imponere clystere lenitium, quod fit ex decoctione betæ foliorum maluæ, mercurialis, & crasso furfure ligato in petia superaddendo cassiam, zuccharum rub. salem cum uitello oui, & oleo communi. Octauo uerò accedente die post syroporum potationem, & apparentibus signis concoctionis & si non complete. Consulo, nobilitatem suam sequenti purgatorio purgari debere. Recip. diasenæ lenitiui, diacatholiconis. an. vnc. med. electuarii indi, dr. ii. pulueris Turbith boni, & gūmosi drac. med. omnia dissoluatur cū aqua decoctiōis betonice, iuæ, saluiæ, & florū, & fructuū cōium, & fiat potus. Demū iubeo patiētem quiescere per. iiii. dies post quos cōsulo, ut alternis diebus per. iii. horas añ prædiū



faciat sibi imponeretur clystere sequens. Recip. betonica, iua, salvia, maiorana, florum stæcados arabici, chamæmeli, corticum radicum capparidis, ana manipulum unum, corti. radi. colocynthidos. & pulpæ eius, ana drach. i. & med. agarici electi drach. ii. hermodact. Vnc. med. ligentur colocynthis, & agaricus in petia, & bulliant omnia in simul ad consumptionem medietatis, deinde colentur, & de colatura: Recip. lib. i. & med. olei rutæ. Vnc. iii. Hieræ logodionis. dra. vi. benedictæ. Vnc. med. zucchari rubei. Vnc. i. & mediam, vitelli oui numero. i. salis communis drach. ii. & imponatur clystere.

Finitis his tribus clysteribus, sic alternis diebus peractis, cõsulo per septẽ dies continuos Nobilitatem sui ingredi sedendo balneum sequens, à principio anchæ usq; ad plantam pedis. Recip. florum chamæmillæ, melliloti, aneti, fenugreci, seminum lini, ana manipulum unum, Absinthii, menthæ, pulegii, calamenti, abrotani, carui, ameos, polipodii quercini, betonica, florum stæcados arabi. salvia, acori, herbæ paralytis, origani, granorum iuniperi, baccarum lauri, ana manipulum unum & medium, rosarum rubeorum, camepytheos, granorum mirthi, spicæ, ana manipulum medium, sulphuris uiui Vnc. ii. salis niri Vnc. i. misce, & bulliant omnia in centum quinquaginta libris aquæ currentis, usque ad consumptionem tertiæ partis primitus prædictis rebus crasso modo contusis, & in colatura calida ingrediatur patiens, in qua moram trahat per spacium temporis unius horæ. Demum uerò lectum calidum ingrediatur statim cum exierit balneum, & sic stet per duas horas sudando. Demum uerò corpore bene abstereso à sudore, inungat sibi locum doloris sciatici, in quacunque parte cruris fuerit cum sequenti unguento. Recip. salvia, acori, herbæ paralytis, iua, origani, betonica, florum stæcados arab. ana manipulum unum, thuris, mastiicis, nucis muscatæ, ligni aloes, ana drach. ii. hæc omnia bene



benè contusa ponantur in uentre uulpis masculi, & buliat uulpis in sufficienti quantitate aquæ, & uini albi odoriferi usque ad consumptionem totius carnis uulpis, deinde forti expressione uulpis facta in dicta decoctione, ponatur ad aerem frigidum quousque coaguletur, uel congeletur, pinguedo supra superficiem aquæ, & uini, quæ diligenter colligatur. Cui pinguedini adde medullæ crurum cerui, pinguedi. Tassi, pingued. humanæ, pinguedi. Vrsi, ana. Vnc. ii. sanguinis ranarum, sanguinis testudinis, ana. Vnc. i. & med. olei maioranæ, terebenthinæ, ana Vnc. i. & med. Galbani dissoluti in aceto forti. Vnc. med. omnia insimul apud ignè in catia tantum agitentur, quibus bene agitatis, omnia colentur, & colaturæ adde balsami drach. ii. uel olei balsami. Vnc. ii. & iterum bulliant apud ignem cum modico ceræ fiat unguentum molle, cum quo calido toto crure inuncto, si dolor est in toto crure immediate super ligetur cruri pellis uulpis suffumigata cum thure, nuce muscata, & ligno aloë, & sic continue, uel stet in lecto, uel quiescat, & sic per spatium dierum duodecim balneando, & inungendo, mirabilem experientiam Nobilitas patientis cognoscat. Laudo quoque, quòd immediatè post exitum à balneo antequàm lectum ingrediatur capiat infrascriptum bolum. Recip. conseruæ stæcados, conseruæ anthos, ana. dra. ii. zucchari rosati. drach. i. Mithridati optimi. drach. med. misce, & fiat bolus. Consulo quoque, ut aliquando, præcipue, cum tempus non fuerit magni æstus, ut ad minus semel in septimana, capiat infrascriptum bolum. Recip. zinziberis uiridis, drach. ii. turbith boni, & gummosi, drach. i. & med. subtiliter puluerizati, pulueris hermodact. drac. i. misce, cum modico syrupi de stæcade, fiat bolus. Vbi uerò his peractis remediis, Nobilitas sua illam, quam speraret sanitatem non adipiscatur, consulo, ut indubitato admo- ueatur ei cauterium in crure offenso infra genu per quatuor digitos in parte syluestri, & portetur apertum, & hęc



intentionem habuit Hippocrat. sexto aphorismorum. LX. ubi ait, quibuscunque à coxēdicum dolore molestatis diurno excidit coxa, his crus tabescit, & claudicant, si non urantur: eandem sententiam uoluit Auicenna uigesima secunda tertii, cum alia non contulerint, & istud apud me frequēter expertum est, huiuscemodi dolores facile dissolui, & immediate ex isto celebrato cauterio. Ultra hoc, quod sexto Epidemiarum ipsum commendauit Galenus, & Albucasis dixit, quod ad tale cauterium confluunt superfluitates à toto corpore. Et hæc uolui dicere pro tertio instrumento, quo medicus debet uti ad huiuscemodi dolorem coxendicum curandum.

Caput secundum.

Cum non minoris afflictionis apud istum patientem, sit timor, quem habet de futuro asthma, quam præsentia doloris sciatici. Ideo huic timori obuiantes, dicemus, rem admodum consistere in uictus ratione, quam sua. D. exactè debet obseruare. Quam uictus rationem satis dixi in præcedenti capite, cum ab eadem materia & dolor coxendicum, & asthma in sua nobilitate concreentur. Ut tamen nobilitas sua præseruetur, ne in illum horrendum lapsum labatur, post debitum rationis uictum, si sequentia remedia obseruabit, & liberaliter eis utatur, certe ab asthma futuro præseruabitur.

Consulo itaque primo D. suam non etiam contradicendo, neque etiam contra operando dolori coxendicum, sed ei admodum conferendo, quod in quolibet mense decies, idest decem diebus alternatis, capiat bolum infra scriptæ mixturæ ante cibi ingurgitationem per horas tres, Recip. Terebintinæ lotæ cum aqua hyssopi uncias quattuor, penidiarum uncias duas, olei amygdalarum dulcium. Vnc. i. pulueris betonicæ, pulueris liquiritiæ, ana drach. i. zucarri. Vnc. i. misce, & diu agitentur usque quo fiat forma eleuarii.

Item



Item laudo, quod bis in mense iuxta præceptum Gale-  
ni quinto de tuenda sanitate in diluculo capiat infracrip-  
tum potum. Reci. terebintinæ lotæ cum aqua iuæ. drac. vi.  
pul. liquiritiæ drac. i. & med. misce, & fiat bolus.

Item laudo, quòd ex usu suo frequenti, & in omnibus  
temporibus, in quibus non est magnitudo ætus, per tres  
horas ante prandium capiat. Vnc. med. infracriptæ mixtu-  
ræ. Recip. butyri recentis in aqua unguæ caballinæ loti.  
vnc. iiii. caricarum pinguium, nucleorum pini, passularum  
enucleatarum, dactylorum, amigdalarum amararum, sin-  
gulorum, ana. Vnc. ii. succi glycirizæ, dragaganti, ana. Vnc.  
med. hyssopi, ireos, thimi, satureiæ, prasii, pulegii, sem. ur-  
ticæ, ana. Vnc. med. cinnamomi, zinziberis, piretri, ana. dra-  
iii. gariophyllorum, galangæ, piperis nigri, anisi cardamo-  
mi, carui, ana. drach. ii. ligni aloes, nucis myristicæ, ana. dra.  
I. aquæ mellis, libras quattuor, sic conficito. Caricas, pas-  
sulas, & dactilos omnibus bene tritis in aqua mellis triduo  
fundito, postea lento igne coque, & uiolenter succum ex-  
prime, cui tepido succo butyrum, & mellis spumati li-  
bras sex misceto, & iterum lento igne coque. Iteratoque  
colato, cui colaturæ grana pini, & amygdalas bene om-  
nia contusa addito, quæ omnia in uase nulla intermissio-  
ne optime ducito, cæteraque in subtilissimum puluerem  
reducta illis imponito, & pulmonis uulpis in puluerem  
facti. Vnc. i. iungito, & diutius permiscendo conditum per-  
ficito. &c.

Quoniam autem dixit Aristoteles, in problematibus  
balnea naturalia calida esse facerrima, ideo uel omnibus  
prædictis obseruatis, uel non omnibus obseruatis, consulo  
nisi obstet ætas, quam credo ætatem non obstare D. suam  
debere ingredi balnea quædam naturalia sulphurea qui-  
dem, aluminosa, & nitrosa quemadmodum sunt balnea  
apponensia, in Comitatu Patauino sita, non quippe biben-  
do, quoniã cū eius uirtus sit satis attenuatiua, timédū esset,



CONSILIVM XXXV.

ne propter aquæ potum humiditates capitis, & totius corporis eliquata, ob aquæ prædictæ facultatem attenuatam, irruerent ad partes membrorum anhelitus, mouēt es asthma, & ad crus ipsum offensum, augmentando coxendicū dolorem. Sed aperta fronte consulo, nobilitatem suam duciam prædictæ aquæ cadentis ab alto supra commissuram coronalem accipere debere, quoniam huiuscemodi aqua ultra hoc, quod caput roborabit, quod puto esse in causa, & asthmatis, & doloris coxendicum etiam crassos humores in eo attenuabit, incidet, & resoluet, & nedum duciam laudo ex prædicta aqua supra, commissuram coronalem, uerum & supra articulum coxæ, quoniam quod iam defluxum est ad ipsum, facile ex uirtute dictæ aquæ dissoluetur. Et propter eandem rationem. Consulo D. S. ut quotidie post assumptam duciam, præsertim de mane, ingredia-  
tur balneum prædictæ aquæ, quoniam easdem operationes conducet in crure, & Dolorem coxendicum dissoluet.  
Ad laudem Dei. &c.

FINIS.





## AD VLCERA QVAEDAM,

ubi etiam uidebatur apparere tran-  
situs ad febrem hecticam,

Pro Francisco Castellino,

Foroliuensi,

## Consilium XXXVI.



Ateor planè uir doctissime, te adeo exactè,  
& doctè uerendum casum tui ad nos descri-  
pti iuuenuli, enarrasse, ut neminem talis  
uerborum facundiæ, tuarumque functio-  
num prudentiæ inuenire crediderim, Qui  
& in capitum discrimine morbi, & eorum,  
quæ ei annectuntur, æquali sermone, scientificoque decur-  
su, sanè neque maiori tibi iungi ualeret, Nempe quàm cu-  
riose ea, quæ in hoc morbo actui theorico capita attinent  
enumerasti, obseruastique præcepta Galeni, & principis  
hinc & inde, & tu sicut & ipsi eorum numerum quinariū  
statuisti, scilicet, ægroti temperiem, quam ei natura condi-  
dit, & morbi nomen, quod ipsi Autores tribuerūt, & mor-  
bi causam, & eius indicia, atque prænotiones. Reliquum  
uerò caput sextum, quod actum decernit practicum, & ei  
attinet, non derogans amplitudini tuæ scientiæ, neque op-  
timis præsiidiis, quibus certè ualetudinem huic iuenculo  
condonare facile potueris, nobis ueluti senioribus dereli-  
quisti, petiisti que.

Obseruasti igitur Doctor Excellens Galeni præceptum  
cum caput primum decurristi, dicentis nono methodi cu-  
ratiuæ capite decimo quinto. Non esse uiam cognitionis  
morbi, & suarum causarum, eorumque profligationis, nisi  
naturalis temperantiæ totius, cognitio præcesserit, & mē-  
brorum



C O N S I L I V M

brorum principalium, maximè & eorum, quæ ipsis atti-  
nent, seruiuntque. Idem uoluit Galenus in primo de dysp-  
ncea, dicens, ut cognoscamus quantum ægritudinalis com-  
plexio distet à naturali temperie ægrotantis, ipsam natura-  
lem temperiem cognoscere licet, & huic sententiæ alludit  
Princeps. III. primi, capite primo. Dicens, ut facilè cogno-  
scere possimus, quali proportionè medicamenta condo-  
nanda sint corpori ægroto, quoniam in illa proportionè,  
quam habet complexio præter naturam ad naturalem tẽ-  
periem. Cognosces quoque ex naturalis temperantiæ co-  
gnitione, quæ ægritudines sint naturæ proportionales æ-  
grotantis, & quæ non, ut docuit Galenus secundo apho-  
rismorum, commento illius aphorismi trigesimi quarti,  
in morbis minus periclitantur ægrotantes &c. ob hanc  
igitur causam fuisti contentus, quam etiam nos docuit ga-  
lenus primo, artis curatiuæ ad Glauconem capite primo.  
Iuuentuli tui naturalem crasim enarrare. Eam quippe au-  
diui te in latitudine actiuorum ad frigidum locasse, passi-  
uorum uerò ad siccum. Quo fit, ut in isto nunc in ætate  
pueritiæ constituto, naturalis temperies melancholica in-  
ueniatur. Nisi obstet quod scriptum est, de eius iecinore,  
cui calidam, & siccam temperaturam condonasti. Dixit  
enim Galenus secundo artis medicæ, Totius nostri corpo-  
ris temperiem naturalem ex primis particulis ortum ha-  
bere, præsertim ex duabus uidelicet, corde, & epate. Cum  
enim siccum sit adaugens, & exacuens calidum, ut sensit  
Arist. quarto metheororum, non tanta erit cordis frigidi-  
tas ut iecinoris adauctam meritò siccæ caliditatem epar  
ducatur ad frigidam temperaturam, uel ad tantam quali-  
tatis refractionem, ut ex corde, iecinoreque totius corpo-  
ris temperatura frigida progignatur, caliditas enim agen-  
tior est, ex quarto metheororum. Vbi uerò epar esset cali-  
dum & humidum abundantius, cor sui frigiditate posset  
infrigidare epar, quoniam humidum plusquam oportet  
a sociat



affociat sibi frigiditatem maiorem, quàm oportet, ut ex Galeno habetur in libro de temperaturis, & ex principe prima fen. primi. Doctrina tertia capite primo, & tu posuisti epar pueri esse calidum, & siccum. Humidum enim maius, uelocius reddit corpus frigidum, quàm maius siccum. Id etiam obstat, quod nobis à colore indicasti, albus enim color, uel subalbidus dominium indicat pituitæ, niger uerò atræ bilis auctore Galeno in secundo, de temperaturis & Principe secunda fen. primi. Doctrina tertia, summa prima, capite septimo. Quòd autem attulisti, immo pallidiusculum potius ad colorem uergit, id non uariat pituitosam temperaturam, ut ex Galeno habetur secundo, de temperaturis, & ex principe secunda fen. primi, tertia Doctrina, summa prima, capite tertio, sed gipseus color frigiditatem significat, & rem phlegmaticam, & stamneus frigiditatem, & humiditatem significat cum pauca re melancholica, quoniam est albedo cum pauco uiriditatis pallidus certè color his duobus attestatur. Obstat quoque quod dixit Excellentia Tua scilicet uitiosos succos totum eius corpus obtinere, quorum mordacitas nascitur ex mixtione cholerae cum phlegmate aquoso. Dixit enim Galenus secundo, artis curatiuæ ad Glauconem, temperaturam totius corporis naturalem, facile conducere corpus ad temperaturam præter naturalem, consimilem temperaturæ naturali, & idem uoluit secunda, aphorismorum trigesimo quarto. Et princeps secunda fen. primi, igitur si eius temperies naturalis sit frigida, & sicca, non conducet ratione humoris falsi totum corpus obtinentis, in præternaturalem temperaturam humoris à Dominio calidi, & ob hoc non facile timendum esset de casu huius pueri in febrem habitualem, quæ siue principium capiat, nullo alio præcedente genere febrium, siue non, semper ipsa à calefacto esse membrorum dependet, & non à frigefacto esse, ut in de differentiis febrium notat Galenus, &



C O N S I L I V M

Princeps prima quarti, cap. proprio. Sed Doctor Excellens dicam me potius sub silentio transeundum fore, quàm in significationibus temperantiæ huius pueri malè loqui, iuxta illud Galeni primo, de diebus decretoriis, capite ultimo. Dicentis in significatione silere melius est, quàm procedere super iudicium cum errore. Et ob hoc dixit Galenus nono methodi curatiuæ, capite decimo quinto. Quod corporum temperaturæ certissimè dignoscere est ualde difficile, cum quod non uidimus, non certè iudicamus, neque quod alio iam non percepimus sensu, non cognoscit enim medicus sine sensu præuio, tum etiam quoniam contingit in significationibus temperaturæ naturalis, facile medicum in morbis errare, quoniam significationes temperaturæ naturalis plærumque latitant, absconduntur uel sub indiciis temperaturæ morbi, ob has igitur causas excusatum me habebis, si huius pueri sui corporis totius temperaturam non decernam, neque & illius interiorum membrorum, quoniam eorum temperaturæ ex his, quæ iuuant aut nocent dignoscendæ sunt, ut ait Galenus secūdo, artis medicæ. Tum etiam quoniam tales eorum temperaturæ non nisi ex operibus cognoscuntur, ut secūdo complexionum dicitur à Galeno capite sexto. Nempe minimè fui expertus, quæ huic puero iuuamentum præstent, noceant uel, minusq; quales fuerint intrinsecorum membrorum functiones dignoui, quoniam in illum nunquàm operatus sum, igitur nunc adiscentis officio fungar, iuxta illud Aristot. posteriorum primo, oportet adiscentem credere. Credam igitur tibi Doctor Excellens, talem esse huius pueri temperaturam, qualem doctè examinasti, suorumque intrinsecorum membrorum. Quòd si aliquid in cōtrarium me adduxisse uidear, id feci, ut mentem tuam, & intellectū tuum ad altiores sensus excitarem, sed de his hæctenus. Medicum enim prolongare sermonem, in his, quæ nullum iuuamen afferunt medicationi superfluum est, auctore Gale



no in primo, de ratione uictus acutorum, commento. III.

Nempe in secundo capite affectus es, Doctor Excel-  
lens, præceptum Galeni dicentis primo, de uictus ratione  
in acutis, commento tertio, neminem ad curam morbi se  
accingere, nisi prius cognouerit ipsum, quæcunque enim  
ipso morbo ignorato ipsi ægroto contigerint, hoc à casu,  
uel fortuna euenisse putandum est, ut in primo de dysp-  
noea, dixit Galenus, cui assentit Princeps secunda, fen. pri-  
mi, & quarta primi, ubi ait neminem morbum curare, nisi  
ipsum cognouerit. Primum igitur adduxisti morbum,  
quo pluribus iam elapsis diebus, mensibusue adolescentu-  
lus tuus facile corripitur, & est ulcus, aliquas illius occu-  
pans particulas, pedes scilicet & manus, non longe tamen  
ab earum articulis. Nomen autem ulceris nondum specie  
distinctum inueni, quod maxime obseruari debet in me-  
dendi methodo, iuxta illud primo, de morbis curandis,  
capite primo & secundo, ubi ait. Quoniam igitur & nos  
iam docendi modum ingredimur, necesse alicubi rebus  
nomina imponamus, an uero dilucide id uos extimetis li-  
cet. Et capite secundo ait. His ita distinctis inspicienda dili-  
genter est diuersitas nominum, quæ ægritudinibus ipso-  
rum primi autores imposuerunt, dices autem tu, ut dixit  
Galenus. Subinde enim à læsa particula sunt nomina indi-  
ta. Ut pleuritis à pleura, & peripneumonia à pulmone, &  
coxendicum à coxa, sic & adolescentis morbo nomen indi-  
tum sit, ulcus pedis, & manus. Hoc certe uoluit Galenus,  
quoniam dixit ipso- uero morborum, quæ nec locum  
affectum nomine repræsentant, nec causa quæ eos effecit,  
per pauca sunt nomina, inter quæ Galenus nominat ulcus,  
non enim specialiori nomine debet ulcus à loco nomina-  
ri, cum multa nostri corporis loca ulcere corripiri possunt.  
Quo autem, & quali ulcere corripiantur, nequaquam au-  
diui, minusque uidi, ac sensi. Sed iterum dices tu, causam  
attuli, quæ ulcus ipsum effecit scilicet succum uitiosum



mordicantem, ac erodentem, prognatumque ex mixtura cholerae cum aquosa pituita ob iecinoris caliditatem.

Certe scis, Doctor Excellens, quod multa in nostris corporibus ulcera progigni possunt, quae diuersis nominibus à medicis indita sunt. Et si ab eadem causa mordente, uitiosa, ac erodente, salsaque ortum habeant, ut Herpes, Herpefestiomenus, secundum unum modum, & Eresypelas, secundum aliquam sui speciem, & alia. Et haec est Doctrina Galeni secundo, ad Glauconem, & secundo methodi, & decimo quarto methodi, & Auicennae tertia quarti, tractatu primo. Igitur ex tuo relato nomen morbi huius generale concipiam, hoc uidelicet ulcus, fugit autem impositionem à loco, quoniam ulcus uaria sibi determinat loca, id tamen pedi haeret, & manui, & particulari nomine ulcus pedis dicatur, manusque, & id cognita causa, beneficio artis nostrae curabimus. Alterum quoque adolescentis morbum sub nomine ethicae nobis significasti, qui & si hunc primum posuisti illius morbum, mihi autem opportunius, eum posui secundum, praesertim cum uiderim te praecedentis morbi exquisitam scientiam habuisse, huius uero sermone perplexo loquutum esse, opinor inquam, Doctor Excellens, te à nobis scire uelle, an aeger hic tuus in praesentiarum ethicus censeatur, an ne. Vbi non, an paratus sit ad casum in ethicam, an ne, & si paratus est, quibus praesidiis seruandus est, ne in Ethicam cadat, Si uero actu Ethica laboret, quibus ingenis curandus sit, praeseruandusque ne in phthisim concidat. Quo fit, ut nos his satisficientes, duplicem actum medicationis compleamus, ut ait, Galenus tertio, artis medicae, scilicet actum praeseruationis à futuro, & curationis illius, quod instat. Nos autem Doctor Excellens pro illa, quam possimus debili nostri ingenii facultate, honestae tuae petitioni morem in sequentibus geremus &c.

Quod



Quod in capite tertio adscripsisti, uidelicet caufarum morborum inuentionem, hoc dixit Galenus secundo, de facultatibus naturalibus, capite nono, ubi ait, caufam morbi cognoscendam esse ab eo, qui ratione morbum curare uoluerit, ibi quoque ostendit, quæ sequuntur utilitates in curatione morbi ex cognitione causæ ipsius, & primo artis curatiuæ, ad Glauconem, capite primo, induxit morbi causam cognoscendam fore, quoniam effectus, & in esse, & in cognosci à sua pendet causa, ut ex Aristotel. habetur secundo naturalium, & secundo posteriorum, & secundo aphorismorum, commento uigesimo secundo, dixit Galenus, morbi curationem in abolitione causæ eius consistere. Igitur non profligabis morbum, nisi eius causam cognoueris, & idem dixit Princeps secunda primi, capite de causis. Dico igitur, quod cuiuslibet morbi materialis, causæ sub tribus comprehenduntur generibus, ut uoluit Galenus in libro de causis pulsuum, capite primo. Vnum genus procatharticæ, uel præincipientis est causæ, aliud est præcedentis causæ, de quibus duobus caufarum generibus sermonem habes, à Galeno, in libro de causis morborum, capite secundo, & tertio, de præfagitione in pulsibus, capite penultimo, & in libro de causis procathartici, capite secundo. Tertium genus est causæ contentiuæ, de qua loquutus est Galenus septimo aphorismorum, commento trigesimo, & in libro de causis pulsuum, capite primo. Morbus igitur huius pueri à nobis iam factus primus causam habet procatharticam, quam externam ideo nominat Galenus, quoniam extra corpus posita, quicquã in corpore alterat, ueluti indebita uictus ratio eorum, quæ extrinsecus corpori contingunt, ut ea, quæ epar estuant, & bilem generant, quæ si opere naturæ erratis aquoso phlegmati commiscebitur, falsa facilè progignetur pituita, quæ non gubernata à natura petet membra debiliora, ibi que falsedine sua mordicando, erodendoque in eis ulce-



ra reponet. Et si ulcera illa essent ambulatiua, tantum dicitur simplex formica, quod nequaquam affirmo, cum non sit mihi relatum adhuc, si permeant solam cutim. Si uero non solum cutem permeant, sed & carnem, quam corro-  
dunt, & perforant, & cito uulnerant, ad ossaque penetrant, & ea percutiunt mixtam dicemus, & manducantem formicam, prima enim a cholera simp. rub. causatur, Secunda uero, a cholera phlegmati mixta, hanc sententiam habes a Galeno decimo quarto, methodi ad finem, & secundo, ad Glauconem, & a principe sen. tertia quarti, tractatu primo capite sexto. Si uero hæc formicæ ulcera nolueris dicere, pensitare debes si sunt de aliquo frigidorum affectuū genere, & hoc non, quoniam eorum causam attulisti, choleram ab æstuante iecinore progeneratam ex admixtione eius cum aquoso phlegmate, forte sicut uidi in molli & humida temperatura, potest struma adgenerari, cui ex temporis mora superuenit ei putredo, & marcescentia, & post ad exituram peruenit, & ulcus factum est, a quo sanies exhibat uitiosa, & mordicatiua facta calida, & acuta, propter caliditatem a putredine ortam. Dixit enim Galenus in de sanguinis missione, omnem putredinem addere caliditatem materiæ, & dum incipit merito putredinis calefieri, uidetur phlegmon oriri, & cum crescit putredo, simul caliditas augetur, acuiturque, & strumæ superiorem cutem, & eius folliculum disrumpit, & carnem, & os percutit, & dicitur tunc struma ulcerata. Ambigo tamen super hoc ut dicis, ulcera hæc digitos pedum, manum ue corripere, quorum substantia non adeo mollis est, ut mereatur strumis occupari, ut uoluit Galenus ad Glauconem, & princeps, tertia quarti. Loquar inde de causis præcedentibus ulcerū puerum tuum corripientium, & dicam cum Galeno in libro de causis pulsuum, capite primo. Quod præcedens causa morbi huius est, quæ in humoribus corporis existit, & ut ais tu, est plenitudo humoris calidi, & sicci, facti quippe



ex mixtione cholerae cum pituita aquosa, ex qua oritur pituita salsa, quam in isto patiente generat epas ex abundantia caliditatis suae. Quo fit, ut plenitudo humoris falsi, & abundantia caliditatis epatis, sint praecedentes causae illorum. Si trahamus morbum ad ulcus, & dicamus morbum illius esse ulcera salsa, si uero uertamus ulcus ad symptomata, anceps sum, quae sunt illorum ulcerum praecedentes causae, nescio enim an sequantur phlegmonem, an strumam, an formicam, quoniam & talia contingunt ulcerari, & quoniam in genere eorum ulcerum causae praecedentes sunt symbolae, & fere in unum coeuntes, ideo cum afferam eorum praesidia, in his rectum curationis modum non peruertam. Continentem autem morbi causam appello, quae proximo iungitur affectui, illum in effectu conducentem, & ut clarius referam, est causa contentiua, quam neoterici dicunt coniunctam, qua mutata, mutatur affectus, & non mutata permanet affectus, auctore Galeno primo, de causis pulsuum capite primo, ubi ait, neque enim potest ulla continens causa mutari, ut constans maneat effectus eius. Igitur contentiua causa ulcerum pueri est humor salsus illis iunctus, illa in effectu efficiens. Sane alterum attulisti morbum, quo adolescens tuus, uel laborat, corripiturque, uel paratur in illum facile irruere, & hunc dixisti ethicam febrem, quam nobis notificans Galenus in libro de inaequali intemperie ait, cum omnes corporis solidae particulae excalactae ad absolutionem iam sunt, eiusmodi febrem ethicam Graeci uocant, ut non amplius iam in humoribus & spiritu, sed in corporibus iis, quae habitus rationem comprehensam habent, & idem dixit Galenus primo, de differentiis febrium, capite septimo, & octauo. Et scio te non latere huius febris ethicae tres esse species, ut ait Galenus decimo, methodi curatiuae, capite undecimo, & primo de differentiis febrium, capite octauo, & nono. Prima quidem est, cum febris propriam partium humiditatem ex qua nutriuntur,



triuntur, depascit, & hoc clarius explicans Galenus primo de differentiis febrium ait, cum enim naturalis caloris cordis temperies primum everti inceperit, neque nativa humiditas protinus aboletur, neque uirtus plurimum laborat, sed primo fit, ueluti quædam efferuescentia humiditatis, hæc est prima ethicæ febris species. Cum uero depascit febris carnosum genus, quod circa tum fibrosas, tum membranosas partes solidorum corporum hæret, merito hanc secundam ethicæ febris speciem uocabimus, si uero deinceps ipsas solidas partes depascit, hæc tertiam dices esse febris ethicæ speciem, ab ea itaque tertia specie conascitur dispositio illa, quam omnino tabem dicimus, & hæc febris est, quam ethicam tabidam appellat Galenus primo de differentiis febrium capite octauo, quæ in decrepita ætate solet contingere. Sed etiam pueros uidimus inquit Galenus incidisse quamplurimos, opinor igitur cum Galeno triplicem esse febrem ethicam. Vnam scilicet quæ nondum existit tabida, ut quæ est primæ speciei. Secundam uero, quæ non omnino tabida existit, & est secundæ speciei febris ethicæ. Tertiam uero, quam omnino tabidam pronuntiauius, & est tertiæ speciei ethicæ febris. Ex his igitur si adolescens iste iam facta ægritudine, quam ethicam dixisti, corripitur, uel est ethicus, nondum tamen tabidus, & idem erit in prima specie febris ethicæ, uel est ethicus, non omnino tabidus, & ipse erit tunc in secunda specie ethicæ, uel est ethicus omnino tabidus, & erit tunc aggressus tertiam febris ethicæ speciem, quam Galenus auctore Philippo senectam ex ægritudine appellauit, in quâ non solum senes, sed etiam pueri facile cadere possunt. Igitur Doctor optimè, quoniam uidi te ipsum dubitare, an puer iste iam ethicus factus sit, opinor ego, si ethicus est, sit primæ speciei febris ethicæ ethicus, ob hoc, quoniã febris ethica primæ speciei difficilioris est cognitiõis, quã curationis, ut ait Galenus primo de differentiis febrium,



capite nono, & decimo, methodi, capite undecimo, ob quã rem huius febris ethicæ nondum tamen tabidæ, quam de prima specie ethicæ diximus, causas perscrutabimur, sermone necessario. Super uerò causas aliarum febrium ethicarum tabidarum, obiter loquemur, ut si forte fortuna tempus curationem exostularet, uiam haberemus ad morbum profligandum ex abolitione suarum causarum ut ait Galenus secundo aphorismorum, commento uigesimo secundo. Dico igitur, quod ethica febris, quæ nõdum tabida existit, à qua facile nunc temporis puer hic possit teneri, causas habebit procatharticas, uel præincipientes, si nulla præcedente ephemera, uel ardente febre, ab initio ortum habuerit. Sed dices tu Galenum contrarium asseruisse primo de differentiis febriũ, capite septimo, ubi ait. Ethicæ febres nunquã ab initio inuadere consueuerunt, dicam tibi id noluisse Galenum, sed hoc, quod ubi ethicæ febres absque causis procatharticis generantur, nõquã ab initio inuadere consueuerunt, quoniam necesse est, ubi non habuerint causas præincipientes, præcedere eas alia febrium genera, quo fit tunc, ut ethicæ febres non generentur à causis præincipientibus, sed à causis præcedentibus solum ortum habeant, ob hoc recte dixit Galenus, Ethicis febribus non esse inseparabile eas oriri à causis procatharticis, quoniam & cætera febrium genera à talibus oriuntur, & ipsæ aliquando non oriuntur à causis præincipientibus, ut cum sequuntur ardentes febres, Est tamen eis proprium, ut ait Galenus ex primo quidem proprii modo, à Porphirio dicto, quoniam soli febrì Ethicæ accidit, eam à procatharticis tantum ab initio oriri, nullis uerò aliis generibus febrium accidit solum à procatharticis ab initio oriri, immo neque ephemeris. Non enim omnibus illis accidit ab initio oriri à solis causis procatharticis, cum aliqua incipiat à dispositione corporea, ut dixit Auicenna, prima quarti, capite proprio.



Igitur causas ethicae febris nondum tamen tabidae existen-  
 tis sic habeto. Aegrū incipientem febricitare interrogabis,  
 si antequam cœperit febricitare, nimium iratus, tristatusq;  
 fuerit, uel si uehementi laborauerit exercitio, uel sub irra-  
 diante, & nimium calido sole peragratus fuerit, uel ipse e-  
 duliis admodum calidis, atque potationibus nimium in-  
 flammantibus, & urentibus usus fuerit, & ubi hæc esse ue-  
 ra inuenies, inde febrem considerabis si utique ad sequen-  
 tem diem extendatur, neque ad quietem, uel ad maiorem  
 inualescentiam transierit, maioremque in huius pueri cor-  
 pore, aliqualem ariditatem repræsentauerit, proculdubio  
 dices ethica non tabida puerum correptum fore, & sic fa-  
 cile poteris suspicari ipsum ethicum esse primæ speciei,  
 quo fit, ut puerum iudices ethicū à solis causis procathar-  
 ticis, uidelicet ab ira, tristitiaque, uel à forti fame, & tolle-  
 rantia sitis clamosæ, & ab aliis dictis, quoniam ab his in  
 puero potest conduci quædam efferuescentia humiditatis  
 nativæ, quæ ipsa non ex toto aboletur, sed quædam in eo  
 apparebit siccitas, non adhuc ex magna parte nativa hu-  
 miditate abolita, & hæc talia in febre ethica primæ speciei  
 locum habent, ueluti causæ præcedentes ethicae non omni-  
 no tabidæ, quæ est ethica secundæ speciei, orta quidem à  
 quadam consumptione efferuescentiam sequente in lon-  
 gum iam protracta, à qua similes partes, quæ sunt uelu-  
 ti cordis elementa sicciores redduntur, & tenuiores, ex ali-  
 menti iam exsiccati inopia, & hæc causa facta contentiua  
 causa ethicae secundæ speciei, & sic est causa præcedens ethi-  
 cæ tertiaræ speciei, quæ ethica omnino tabida iam dicta est,  
 in qua in tantum efferuescentia febrilis ad crescit, ut mem-  
 bra solida depascat, & ad ultimum arefaciat, & hæc causa,  
 cum iungitur effectui est contentiua ethicae omnino tabi-  
 dæ. Et hæc est Doctrina Galeni primo, de differentiis fe-  
 brium, capite septimo, octauo, & nono. Nempe cum uni-  
 uersalis causa tenens omnem speciem febris ethicae in re-



Etæ earum curatione dignoscenda sit, quæ est mala temperatura calida, & sicca, ut ait Galenus, ideo ut huius capitis finem adipiscar. Dicam, quod cura huius pueri, si ethica corripatur, perficietur ex abolitione malæ temperaturæ calidæ & siccæ, siue ethica febris ortum habuerit à prothartisticis causis, siue à præcedentibus aliis febribus, sicut loquar in sexto capite. &c.

Caput quartum signa morborum huius adolescentis declaratiua secundum quod enarratione habita ex tui doctæ informatione potui concipere, conabor inuenire, & dicam quod primus, quem à principio assumpsi morbus, uidelicet ulcus, duobus generibus signorum facile dignoscitur. Primum genus est, quod sit ulcus, dignoscitur enim ex ratione formali ulceris, quam habes à Galeno quarto methodi capite primo, ubi ait. Vnum esse morborum genus, ipsam quoque continuitatem solutam diximus, quæ in parte carnosâ facta ulcus dicitur. Et idem dixit Galenus quarto methodi, capite primo, & in libro de differentiis morborum, capite undecimo, & Princeps id asseruit quarta quarti, tractatu tertio, capite primo, ob hoc igitur dico, quod cum ulcus morbus quidam sit. Signum quod morbus sit ulcus est, soluta carnis continuitas, quæ facile dignoscitur, apparetque, cum tunc sit in propatulo carnem esse diuisam, ac separatam in partibus, quæ separatio sensu visu, ac tactu percipitur. Secundum uerò genus signorum ulceris est qualitatis, & quantitatis eius, qualitatis quippe, ut quod calidum sit ulcus, cuius indicia sunt, rubedo in eis apparens, & citrinitas, superfluitatis acuties, mordicatio, & corrosio, abrasioque cutis, & carnis, & pruritus, & dolor & frigidus delectatur, & hæc quoque significant supra causam ulceris calidam, ut quod sit cholera uel sanguis, uel falsa pituita, ut iam dictum est, si uerò frigidam ulcus temperaturam possidebit, erit tunc in colore album, molle, cum pauco pruritu non mordicans, neque cutim, uel car-



nem corrodens, & calido delectatur, & istius erit causa pituita, uel melancholia. Quod si in atram uertatur bilem, ex abundante iecinoris caliditate, ut contingit in ulcerato cancro, apparebit color citrinus, cum liuiditate, & aliquali nigrore significans ulcus illud in radice frigidum factum fuisse ex calore adurente calidum aliquantisper, & hoc indicat eius ambulatio, & corrosio, ulcera uero quæ humida sunt, uel significantur per multitudinem uel paucitatem superfluitatum à radice earum effluentium. Et Doctrinam hanc habes à Galeno primo, & quarto libro de compositione medicamentorum per genera, & à Principe quarta quarti, tractatu tertio, capite primo. Quoniam igitur ulcerum signa huius adolescentis, ut scribis, indicant & causam calidam, & ulcera calida fore, Ideo & nos in profligatione eorum abolebimus causam, & malam eorum temperaturam, Et quoniam dubitasti de altero morbo, uidelicet, an ethicus factus sit, an paratus ad ethicam. Vtriusque signa puto esse in propatulo Excellentia tua. De his autem dicam, non ut doceam, sed ut ordinem mei sermonis obseruē, & ut ea melius nobis ad memoriam reducantur. Igitur cum ethica primis diebus difficilè cognoscatur, difficile quoque erit & nos in primis diebus indicia eius enarrare. Sententiam hanc habeo à Galeno secundo, de crisi bus capite decimo tertio, & tertio de præfagiis ex pulsibus capite quarto. Ut autem mihi ipsi satisfaciam, difficile quod est, facili quodam decursu distinguere conabor. Dico igitur, quod ab initio sic cognoscam febrem ethicam iam factam. Si qui essent inter ægrotos febricitantes, qui se negarent febricitare, eorum febris ipso cordis corpore occupato, planè confirmata est, & facta habitus. Hoc habes à Galeno tertio, de præfagiis ex pulsibus capite tertio, quo fit, ut febris ethica non contingat nisi læso corde, auctore Galeno primo, de differentiis febrium, capite nono, ubi ait. Neque ullam omni-



no ethicam febrem efficere, prius, quam cor patiatur, incipit autem ipsi cordi hæc passio, idem uoluit Galenus in libro de marasmo capite septimo. Vbi igitur talis febricitans dicens se non febricitare malam cordis intemperiem, atque illius affectionem sæpe senserit, iudicium tuum certius efficietur, quod sit ethicus firmatus, & ut magis res ad certitudinem ducatur ultra considerabis si ei contingat signum, quod omnibus febribus ethicis commune dixit esse Galenus primo, de differentiis febrium, capite nono, ubi ait, commune est utique omnibus febribus ethicis quod pusillæ, ac semper à principio usque ad finem sunt æquales, qualis autem sit hæc æqualitas, narrat Galenus tertio, de præfagiis, ex pulsibus, capite tertio, ubi ait, nec inualionem ullam accessionis, nec incrementum, nec uigorem, nec remissionem habeant, & inde considerabis si cibum Adolescenti obtuleris, quo oblato quidem febris non longe accendatur, pulsusque ad magnitudinem, & uelocitatem augeatur nullo facto horrore, neque extremarum partium ulla facta infrigidatione, neque rigore, neque typo, neque inæqualitate caliditatis uel pulsus, nisi quantum attinet oblato cibo, statim cum præcedentibus dices, puerum teneri febre Ethica, & ubi ultra procedes in tactu corporis, in primo quippe tactu mitem caliditatem inuenies, in processu uero temporis acrem, & mordacem, offeretque se aridum manui, huiusmodi febreni Ethicam esse existimabis, dum tamen iis coeat pulsus non magnus, neque uehemens, sed paruus, & tardus, & frequens, non magnus, quoniam uirtus est debilis, non uehemens, quoniam celeritas consequitur putredinem humorum, quæ in febre ethica non existit, ut talis est, ob quam rem, si magnitudo, uel celeritas in alicuius febricitantis pulsu reperiatur, illum non teneri febre ethica cogitabis. Quod si febre ethicæ uideatur, & ita sit pulsum magnum, & celerem iunctum esse aliquando,



aliquando, dices hoc esse uel propter oblatum cibum, uel propter alium affectum febrilem ethica copulatum, & plurimum hoc indicat ethica febrile iunctam esse putridam, dixi & frequens, quoniam uirtus debilis non potest accelerare motum, sed ut suppleat necessitati euertationis tempus quietis abbreviat, & hanc Doctrinam uidi ex Galeno in libro tertio, de praesagiis ex pulsibus, non dixi & durus, quoniam uertitur in dubium propter dictum Galeni primo, de differentiis febrium, capite nono, ubi ait, quoniam sine siccitate saepius ethicae febres consistunt, cum non transmutantur ad tabem, ubi uero ethica febris ad tabem conuersa esset, nihil a medicis expectabis, quoniam ad hoc non fui uocatus. Igitur de signis ethicae febris non omnino tabida, uel omnino tabida, cum nondum, ut ais, sub iudice lis sit, nullum sermonem faciam, sed mittam te ad Galenum in libris de tabe, de praesagiis ex pulsibus, de differentiis febrium, & quinto, & decimo, methodi, & aliis in locis expectando nuncium de liti contestatione, quod Deus auertat.

Vbi uero adolescens iste non laboraret in effectu ethica febre, sed paratus esset in eam cadere, huiusmodi paratus indicia habes a Galeno secundo, de morbis, & symptomatibus, capite sexto, & quinto aphorismorum, commento nono, ubi ait. Vicini autem huic passioni sunt, quotquot sunt tortorum crurum, & longitudo colli iis inest, & petus tenue. Et dixit princeps decima tertii, & isti sunt habentes humeros eleuatos, ac si haberent alas, & guttura eorum eminent ad extra, & ubi hos reperies habentes cerebrum debile a membris inferioribus superfluitates recipiens, & eius humores fuerint acuti, & cholericus, uel falsi, statim hos ad ethicam paratos pronuntiabis. Nempe si huius adolescentis librum generationis perlegeris, scrutatusque fueris eius prolem, si non in omnibus sed in multis hanc malam affectionem locum obtinuisse, propter quam  
nedum



nedum in tabem, uerum & in necem eos cecidisse reperies, fiat tunc iudicium tuum certius, puerum istum proculdubio ad tabem paratum fore, quam tabem natiuam uocamus, auctore Hippocrate in tertio de morbis uulgaribus, & Galeno ibi in commentario secundo.

Aggrediar nunc Doctor Excellens caput quintum, de prognosticatione termini adolescentis ægroti, uel parati ad morbos, ut commodiorem uiam habeamus ad ipsos morbos præcauendos, uel profligandos, dixit enim Galenus primo de ratione uictus acutorum commento tertio Prædictiones magna afferre commoda in morborum curationibus. Nolo autem te opinari prognosticationem meam talem esse, qualem Diuinatores promittunt, hoc enim ridiculum est, ut ait Galenus in libro de constitutione artis medicatiuæ, capite decimo octauo, spero tamen quod ubi morbus in habitum non transierit, me ipso laborantem curante, cui peccatum non contribuatur, meæ Prognosticationes rectè succedent. Quod si æger firmum, & in habitu iam habuerit, morbum, indebitoque rationis uictu utatur, ut cogar de malo prognosticari illius termino, proculdubio reddar inculpabilis de ægrotantis morte ut ait Galenus loco ut supra, capite decimo sexto. Sed dicet tu, quomodo prognosticaberis de termino morbi huius pueri, cum nondum uidisti, neque morbum cognouisti, minimeque illius pulsum tetigisti, aliter enim prognosticari quis non ualet, auctore Galeno secundo prædictionum libro, commento sexto, ubi ait, summam autem dico, omnem prognosticationem super uiuentem, moriturumque fieri non posse, nisi facta comparatione inter uigentiam morbi, & uirtutem ægroti. Huic dico, quod non admirari debes, si omnes ferè prognosticationes, quas afferam de morte, uel salute huius adolescentis, sub conditione adducentur, sicut uoluit Galenus ex primo, de diebus decretoriis, capite undecimo, ita fieri debere.

Igitur  
prius



prius prognosticabor de apparentibus ulceribus in pue-  
 ro, & dico quod indicio sumpto ab ætate ulcera in eo sunt  
 facile sanabilia. Quoniam ulcera in senibus difficulter sa-  
 nantur, ut ait Galenus tertio aphorismorum, commento  
 trigesimo primo, igitur in pueris facilè sanantur, conse-  
 quentia est, per locum à contrariis. Item à temperatura æ-  
 tatis, quoniam ætas pueri calida est, & humida à qua faci-  
 le caro progignitur, ut in secundo de temperaturis dixit  
 Galenus, ob quod & in ea facile ulcera sanabuntur. Item  
 à cute pueri. Ob enim ætatem, quæ calido abundat, rario-  
 rem cutim habent pueri, quo fit, ut melius ulcera à super-  
 fluitatibus euacuentur, & ob hoc facilius curentur, & hu-  
 ius oppositum senibus contingit, ut ait Galenus tertio,  
 aphorismorum, commento trigesimo primo. Sanè deside-  
 rari scire modum substantiæ exeuntis ab ulceribus pueri,  
 Quod si exiens tale idest pus, tenuem habuerit substantiã,  
 virus nominatur, si uerò crassam, sordities dicetur, ut quar-  
 ta quarti, dixit Auicenna. Et ex hac cognitione modus cu-  
 rationis ulcerum redditur diuersus. Item prænuntio ulce-  
 ra pueri longo tempore durare, uel quia medici in cura-  
 tione fuerunt delinquentes, ut ais, uel quoniam cicatrix  
 longo tempore aduenit. Quod si facta fuerit, & iterum sol-  
 uitur, causas adduxit Galenus sexto aphorismorum, com-  
 mento uigesimo quinto, uel propter influxum uitiosorū  
 humorum, uel ob aliquam passionem ossis in eo loco cor-  
 rupti, & quoniam hæc omnia in puero, ut ais, apparent,  
 certè illius ulcera non nisi difficile sanari poterunt. Item  
 dico, ulcera hæc, & si difficile sanantur, non omnino ta-  
 men sunt insanabilia, quoniam pus adgenerant. Dixit  
 enim Galenus quinto aphorismorum, commento uigesimo  
 secundo, prodesse, & suppurare in ulceribus in unum  
 coeūt, maximum enim est ulceris signum ad securitatem,  
 & pus, & medicamen, quod habet id faciendi facultatem.  
 Item dico, quod si ulcera hæc cutem ambulent, carnemq̃  
 cauant,



cauant, uel uitio influentis humoris os percutiant, procul dubio eorum curatio & longa, & difficilis succedet. &c.

De ethica febre huius pueri non relinquam prædictiones, & dico primo, quod si ipse non sit, sed ex generatione paratus sit ad ethicam, facile in ethicam irruere poterit, quoniam quæ à generatione sunt ueluti habitus facta sunt, qui magna cum difficultate moueri possunt. Cum igitur in puero hæc aptitudo à natura facta sit, ueluti habitus ei inerit, quo fit, ut eo facile ethicam incurrat, dico secundo quod hanc natiuam aptitudinem medicus beneficio artis suæ amouere nequibit, uel magna cum difficultate, quoniam ipsa à primis spermaticibus ortum habuit, à quibus & totum corpus, & eius omnia membra, & præsertim principalia prognata sunt, poterit tamen medicus suis præsiidiis naturæ blandiri, obuiando malis dispositionibus, & etiam à natura promotis, ut æger in ipsis conseruetur, uel defensetur, ne celerius in ethicam concidat. Dico tertio, quod si puer ex habitudine illa natiua in ethicam non tabidam, uel primæ speciei ceciderit, debet eius cura demandari medico Docto, & experto, qualis es tu Doctor Excellens, quoniam cognitionis difficilis est, & curationis facilis, ut primo de differentiis febrium, capite octauo, & nono. Dixit Galenus, ex inscitia enim medicorum ethica non tabida facile fieri poterit ethica tabida.

Dico quarto, quod si ethicus puer non tabidus, efficiatur ethicus tabidus non omnino: facile medicus ipsum dignoscet, eundem uerò difficile curabit. Vbi uerò ethicus omnino tabidus fiat, facillime eum medicus cognoscet, nequaquam autem ipsum curare poterit. Sententia hæc est Galeni primo, de differentiis febrium, & tertio, de præfagiis ex pulsibus, & decimo methodi curatiuæ, ubi ait. Ethica ubi solidas occupabit partes, homo non persanabitur, sed ipsa febris omnino, uel statim eum iugulabit, &



dixit octauo, methodi capite decimo. Ethica ubi in marasnum abierit, non tentanda quidem est eius curatio. Hortor igitur medicos, qui adolescentulum hunc curare debent, si ethica febre non tabida corripiatur, omni utatur diligentia, ac sollicitudine, ut optimis præsiidiis ei oppugnent, antequàm ipse in tabem peruenerit, & in marasnum. Quoniam curatio inde uana, & cassa erit. Ob quam rem iterum hortor puerum hunc demandari optimo medico, ne ex eius inscitia error aliquis ipsi contingat. Dixit enim Galenus octauo methodi, capite undecimo. Ethicæ curationem nullum errorem, ne minimum quidem admittere. Sanè non extendam sermonem meum nunc ad ulteriora tabis indicia. Et Deus Gloriosus nolit, ut in puero isto nequaquàm ualeam prognosticari de termino tabis ad salutem, uel ad mortem, præter ea, quæ obiter à me recensita iam fuere.

Sextum aggrediar caput, quod profligandi morbum rationem habet. Primo autem sordida ulcera, quæ uitiosis humoribus affecta, facta sunt caua, cum ossis corruptione, atque eius partium separatione, cogar corrigere, curareq; & dico cum Galeno quarto methodi curatiuæ, capi. quinto, quod uel ad particulam, cui ulcus infedit, uitiosus humor non amplius fluit, aut etiam fluit. Si etiam ad ulcera pueri uitiosus succus fluit, malum quippe fluentem humorem dignoscere oportet. Vbi sanguis sit qui fluit, euacuare redundantem sanguinem tunc conuenit, ut ait, Galenus, capite sexto, de curatione per sanguinis missionem. Si morbus magnus erit, & uirium robur, & ætas florida, fugit autem intentio hæc missionis sanguinis à puero, iuxta illud Galeni. Exceptis tamen ab hoc sermone pueris. Sanè quoniam cucurbitularum appositio cute quidem concisa, uicem gerit missioni sanguinis incisa uena, ut in libro de sanguinis missione dixit. Ipso iure consulerem cucurbitulas apponendas fore natibus & scapulis cute quippe inci-  
fa



sa pueri, iuxta illud Galeni, capite quarto tertii, de locis affectis, ubi ait. Cucurbitulæ enim attrahunt ad sese humorem ex immo, id quod aridæ dispositioni utile censetur, solum caloris excitandi gratia, & sic fluentis sanguinis in puero reuulsio fiet, quam iussit Galenus quarto methodi. Non quippe fiet per uenæ sectionem, quæ puero contumax est timore futuræ ethicæ maxime. Vbi uerò certificarer sanguinem ad ulcera illa fluere, unà cum abundante alio succo uitioso, adhuc fluente, reuulsionis causa in puero auderem admouere gratia etiam cuiusdam deriuationis duo cauteria secundum particulas affectas, ut si ulcus manum dextram possidet, in brachio dextro infra iuncturam spatulæ per quattuor digitos cauterium adiungerem & idem in manu sinistra. Si uerò ulcus in altero fuerit pede, ut in dextro, cauterium admouerem in crure illo sub genu in parte syluestri, spatio digitorum quattuor. Simili quidem modo, si ulcus pedem sinistram obtineret, in sinistro crure id, & eodem loco admouerem, & diu tenerem uestiones illas apertas, ipsis enim priuatione influxus sanabuntur ulcera, & una simul securus erit puer à timore futuri lapsus & ad ethicam scilicet, & tabem, ait enim Albucasis, & Galenus sexto Epidemiarum, quod ad ea foramina confluunt & excernuntur omnes totius corporis prauissimi succi. Vnum tamen annotatione dignum puto, quod dixit Galenus, in libro de cucurbitula, & scarificatione, quod omnia hæc quæ dixi præsidia non protinus sunt admouenda, nisi corpore euacuato, propter pericula, quæ possent ægro contingere, dicta à Galeno in primo aphorismorum, commento uigesimo secundo, & in libro quos euacuare oportet, & à Principe quarta primi. Vbi igitur ad ulcera hæc sanguis fluat, cuius natura uitietur altero malo succo, uel alius malus humor ad partes illas fluat, in his ulcera progignens. cuius certitudinem non habeo, nisi sicut ais tu Doctor optime. Quod prauus ille humor ad ul-



cerosa loca fluens, est phlegma falsum solum, uel abundantius sanguini mixtum, non præceptum do, sed consilium super hoc trado, ut primo concoquatur materia cum syrupo de lupulis, uel de fumo terræ, uel rosato, uel cum syrupo, de uiolis, uel de succo plâtaginis, uel de endiuiâ, & ubi pueri uirtus calida esset, & membra forent satis robusta, darem syrupum de pomis compositum, in quo ingreditur uirtus ellebori, cum consimilibus aquis, ut syruporum uirtutes calidiores fiant. Materiam quippe digestam purgarem, uel cum cassia & reubarbaro, uel cum diasene lenitiuo & confectione hamec, uel cum ellectuario de succo rosarum, uel cum pillulis aggregatiuis, in quibus ingrediatur aliquid ellebori præparati, uel cum pillulis de fumo terræ, uel aureis, uel cum agarico in omni administratione cum infusione senæ & fumi terræ, & lupulorum, & boraginis, cum qua expressione facta quid de reubarbaro, uel de succo rosarum, uel confectionis hamech, apponerem, uel cum manna dissoluta cum prædicta infusione, non una uice tantum, sed pluries, & non mireris Doctor Excellens si medicinarum mensuras non expedierim, hoc enim non tribuas incitiæ meæ, quoniam & corporis ægrotantis, & suorum membrorum præsertim principalium facultates nondum exactè cognoui, nempe neque figuram, neque quantitatem, neque uictus rationem, neque assuetudinem medicinarum assumptionis uel inassuetudinem, neque si cutim densiorem habet, uel rariorem, & huiusmodi, quorum proventus nedum uariat mensuram quantitatis medicinæ, uerum & ipsam medicinam, auctore Galeno, in libro de Tuenda sanitate, & in libro quos euacuare oportet, & aliis in locis, & Auicenna quarta primi.

Porro euacuato corpore ægroti pueri ad ea perueniemus, quæ operi manuum submituntur, ut de urendis particulis, & cucurbitularum appositionibus dicta sunt obser-



uato semper præcepto Galeni, quarto methodi, & secundo artis curatiuæ ad Glauconem, ubi ait, quod instante fluxione, reuellere ad contrarium conuenit, siue per sanguinis missionem, siue per purgationem reuulsio fiat, & idē dixit Galenus in libro de reuulsione, ob hoc igitur dixit Galenus in locis adductis, si fluxio ualenter irruat, reuellere ad contraria studebis, utique si in superioribus ulcus consistat, per inferna euacuabis, uel sanguinis missione, siue medicamento reuellere uolueris. Vbi uerò in inferioribus ulcus fuerit, superiorem uentrem euacuabis, si quidem sola purgatio conueniat, & non uenæ sectio, ut in casu nostro. Cum sermo phlebotomiæ excipiatur in pueris, ut dixit Galenus, quarto methodi, sanè quod in puero hanc complet mixtionem ubi opus fuerit utriusque reuulsionis, tum ad inferna, tum ad superna, eodem medicamento uti conuenit, in quo sæpe expertus sum, & est ut semel in spatio dierum septem cum uult cubare ingurgitet sequentem bolum, Recip. floris cassiæ recenter tractæ. drach. vi. agarici præparati drach. med. ex his fiat bolus. Vbi uerò ulcus in puero iam inueteratum sit, & expedit ab eo sanguinem effluere, & non effluxit, ita ut humor ad seipsum iam fluxus sit sanguis uitiosus, dixit Galenus, ut sanguis ab ulcere crebro fluat, efficere prodest, utcunque opportunum uidebitur, tum ab ipsis ulceribus, tum à circumpositis ulceri partibus. Ingenium autem illud relinquo chyrurgico experto, demum uerò mundato & absterfo ulcere cum panno lineo, crediderim statim ulcus medicandum fore cum mundificatiuo de appii succo, & æquali parte diaponpholigonis Galeni cum parte media mellis despumati, & hoc etiam ualet ubi phlegma falsum solum ad ulcerata membra conflueret, & iam confluxum foret, crediderim tamen huic pituitæ falsæ aliquid sanguinis permisceri, propter illud, quod ais de apparentia inflammationis ulceri superueniētis, quæ inflammatio rursus discutitur,



titur, & iterum ulcus progignitur, & pus excernitur, & ob hanc rem præter curationem, quæ fit euacuatione sanguinis ab ulcere, opinor secundum ingenium maxime ulceri conferre, quod est deriuatio, ut dixit Galenus ut supra, his uerbis. Tum à circumpositis ulceri partibus, illa enim euacuatione, quæ fit à uicinis ulceri partibus deriuatio dicitur à Galeno. Consulo igitur, ut circa ulcus in partibus circumpositis ulceri admoueantur hyrudines, quibus deriuabitur materia ad propinquiores partes ulceri, & natura minus occupata reddetur potentior ad corrigendum ulcus, quæ adiuta ab opere medici, facilius ipsum curabit. Quæ de re facta deriuatione crediderim si ulcus cum caliditate fuerit, quod suffusio ulceris cum aqua rosata & aceto plurimum proderit mane, uesperique. Deinde iuuamentum præstabit ulceri, si illi post suffusionem dictam apponantur fila ebulita in aqua decoctionis aluminis, miram enim operationem in ulceribus exsiccando operabuntur, & ei ulceri quandoque apponatur litargirium argenti nutritum cum oleo rosato, & aceto optime enim exsiccat, & cicatricem facit, si uero adfuerit ulceri frigiditas, super ulcus infundatur aqua decoctionis uirgæ pastoris, cum æquali quantitate uini stiptici, & modica aluminis portiuncula, deinde apponatur unguentum factum ex melle, & succo apii, & urina pueri, quæ omnia in mortario bene ducantur donec fiat unguentum. Nempe relinquo tibi Doctor Excellentis uictus rationem, intentione habita ad totius adolescentis temperaturam, & ad naturam suorum ulcerum, iuxta Dominium humorum uel influentium ad ulcera, uel eis affixorum, quæ omnia sunt Excellentia tua in propatulo. Et aggrediar alterius curationem morbi, siue iam factus sit, siue paratus fieri, eodem enim scopo utramque dispositionem, & illam scilicet quam dicis præparationem ad ethicam, & alteram, quæ est ethica, non tamen tabida facta. Nempe eadem præsidia, quæ ethicam non tabidam curabunt,



rabunt, paratum ad eam præseruabunt, ne in eam cadat, & sic eodem scopo duplicem actum exercitabo præseruatiuum scilicet, & curatiuum, quem modo à nobis petiisti. Sane generalem regulam in utriusque lapsus correctione dicam, & est Galeni decimo, methodi capite septimo, ubi ait cum igitur, ut diximus, citra putredinem squalenti corpori febricitare contigerit, caput totius curationis in his remediis, quæ refrigerent, & humectent, statuere oportet, hoc autem contingit fieri duobus modis, uel per quæ foris admouentur, uel quæ intro in corpus sumuntur, siue igitur Adolescens tuus paratus sit, & non dum ethicus sit: siue ethicus, & nondum factus tabidus. Si ei hæc in genere duo admouentur, quæ humectandi refrigerandiq; uim obtinent, proculdubio ea eidem præstantia erunt præsidia, ut dixit Galenus, & ratio est, quoniam ethica febris est mala imperies calida, & sicca, ut primo de differentiis febrium dixit Galenus, cuius curatio est per humidam, & frigidam temperaturam, est enim curationis ratio contrarietas, secundo aphorismorum, commento uigesimo secundo, & nono, methodi capite decimo quinto. Ea namque quæ foris corpori incidunt, sunt, aer qui nos ambit, & in prima intentione nostri in utroque actu præseruationis, scilicet, & curationis uenit aer, cum ab eo maxime nostra corpora alterentur, ut ait Galenus tertio, artis medicæ, deinde pharmaca, quæ humectandi uim habent. Tertium aquæ dulcis balneum. Quæ uerò intro assumuntur in corpus sunt, quæ eduntur, & bibuntur, & inspiratus aer, non intelligo autem, quæ eduntur, & bibuntur pharmaca, quæ facultatem soluendi humores obtinent. Quoniam ethica febris non humores, sed membra efferuescere facit, ut ait Galenus primo de differentiis febrium.

Igitur ab ambiente aere initium sumam, & dicam, quod cum in ethicis primum quod offenditur est cor à superfluo calido affectum, ut ait Galenus decimo, methodi capite



capite septimo, & primo de differentiis febrium, capite octavo, & nono, & in libro de marasmo, capite septimo, quod inspiratus aer frigidus, & humidus magis commodus est cordi, in ethicis, quam aer frigidus, qui exterius ethicum contangit, licet & inspiratus aer, & qui exterius ethico adhibetur frigidus & humidus, condonandus sit. Dispone igitur ethicum puerum, uel paratum ad ethicam, in aere frigido, & humido, propter ethicam febrem intemperantiam esse calidam, & siccam, sit autem aer, quem puero statues magis ad humiditatem decliuus, quam ad nimiam frigiditatem. Quoniam refrigeratio, quæ per efficacissimam frigiditatem inducitur, & si parui temporis sit, periculosa tamen est, curatio uero siccitatis per ea, quæ humectant, & si longi temporis sit, minus tamen, quam refrigeratio periculo exposita est, ut ait Galenus decimo, methodi capite septimo. Vbi igitur aer, in quo hic patiens mansionem suam habet, admodum calidus est, contrarius inducendus est arte nostra. Eligat igitur sibi domum, uel partem eius abundantioris frigiditatis, & humiditatis, ut & solis uigentia eam partem quam inhabitat minus offendant, sint itaque eius mansiones ad septentrionem uersæ, & aure perflatæ, quæ ipsis ethicis sunt propriæ, quod si hæc natura tales non adfuerint, arte nostra parentur. Sint igitur eius domus, in quibus multi aquarum fontes se deiciant, uel in eis sit aqua frigida, de uasis in uasa transfusa. Hoc enim somniferum est, quod ethico præsidium affert magnum, tantum enim humectat somnus, quantum uigilia exsiccat, ex tertio artis medicæ. Itaque tentandum est calidissimum aerem refrigerare, qui in æstate calida & sicca accidit, aspergatur igitur tunc domus eius assidue aqua quæ prorsus frigida sit, siue actu, siue potestate, rosisque humi fuis, & uitium capreolis, & ut ait Galenus, ruborum summitatibus, ac ramis lentisci, & reliquis, quæ refrigerant, humectantque, uti sunt uiolæ, & eorum aqua, & folia can-

narum



narum, ac lactuca, & similia, nempe dixit Galenus decimo methodi, ubi aer modicè frigidus fuerit, eo uti debet ethicus non tabidus, tum ipsum inspirando, tum cutim exterius contingendo, sua enim moderata frigiditate non utique adeo cutim densat, quin etiam qualitas ad cor penetret, & id supercalefactum infrigidet, & ideo dixit Galenus te oportere contentum esse, si ethico condonabis aerem modicè frigidum, neque enim machinari debes supra alterationem temperantiæ eius. Vbi uero aer frigidissimus fuerit, ethico solum inspiratus peridoneus est, quoniam & ipsius qualitas, ac substantia facile ad cor peruenit. Idem uerò contingens corpus, uel nullius est ethico utilitatis, uel eidem admodum contumax est, primum quia fieri nequit, ut ab eo aere cuti densata, eius qualitas, uel substantia ad cor penetrare possit ex prohibita transpiratione, Quo fit, ut ethico superaccendatur putrida febris, & tunc citiori periculo exponitur ethicus, ut primo, de differentiis febrium dixit Galenus. Sed dices tu, igitur non poterit ethicus frigidissimo aeri exterius corpus tangenti exponi, quo fit, ut neque commodum ullum recipiat, ex inspirato aere frigidissimo, huic Dixit Galenus quod aer nimium frigidus densando cutim sibi uiam percludit, ut non possit commodum cordi calefacto afferre, sed incommodum super accendendo putridam febrem, facile inducere potest, exponatur igitur ethicus aeri nimium frigido, qui ab eo inspiratus magnum affert commodum, exterius uerò contingens certè incommodum progignit, sed maius commodum illud est, quod fit ex frigida inspiratione quàm sit incommodum illud, quod fit ex cute densata, quoniam illud incommodum possumus prohibere ex operimentis, quibus cutis facile calefieri poterit, uel reduci ad modicam frigiditatem, utilitatem cordi afferentem, & si minus, quàm inspiratus faciat aer, Quæ autem aeri annectuntur, conuenientia ethico, uel ad ethicam parato, sunt,



ut sæpe camphoram odoret, & sandalos, rosasque ac violas, & similia, quæ frigida, & humida temperatura uestiuntur, sæpiusque irroretur eius facies aqua rosata, & uiolacea, & quæ ex sublimatione nymphææ, & portulacæ fit, satis ipsi idonea est, & manibus patiens ethicam teneat sequens pomum, & id leui frictione commotum naribus frequentius apponat. Recip. sem. lactucæ, & portulacæ, & plantaginis, & papaueris albi, & hyosjami albi, ana drach. ii. sandalorum omnium rosarum rubearum, radicum mandragoræ, uiolarum, ana drach. ii. & med. camphoræ, drach. i. & med. florum nymphææ, drach. i. puluerizentur puluerizanda, & contundantur contundenda, & cum mucilage psyllii, ad unum ducantur corpus manibus ferendum. Ab his autem, quæ nimium calefaciunt, cooperimentis cauere debet, ut à uestibus præsertim, & lecto excitata ab utroque caliditate adaugetur in ethico gradus siccitatis ei admodum contumax, fugiat igitur lectum, culcitraque plumaceas, eius autem lectus sit de mataliciis frigidis ex coto uel lana in medio conditis, superaspersis etiam lintheaminibus pulueribus, qui pomum supra iam condiderunt, mutetque frequenter lectum, & uestes, & lintheamina, & camisias, quas lotas in aqua nymphææ & rosata, uiolataq, & exsiccatas suffitu camphoræ, & rosarum alterabis. Ob quam rem non uitupero, quod postquam eius camisiæ factæ fuerint albæ, iterum diluantur in aqua decoctionis florum nenufaris, & uiolarum, & foliorum maluæ, salicisque & colatura facta, superadde camphoram, & iterum exsiccantur, & usui seruentur quotidiano. Quæ autem Adolescenti edulia idonea sunt à nobis nunc dicantur, cum eorum uictus ratio ad utrunque actum curationis scilicet, & præseruationis multum expediat, & dicam prius generale præceptum galeni decimo methodi, capite undecimo, ubi ait. Sanè humidum esse, ac frigidum alimētum, quod ethicis febribus sit conductum nemo nescit. Eiuscemodi enim sunt,



sunt, ptisanæ cremor cum frigidus sumitur. Non laudo aliam conditam, ut Galenus dixit, quoniam in eius condimento ingreditur aliquid porri, conditurque, & anetho, faleque, & oleo, & aceto, quæ omnia nostris temporibus satis contumacia sunt ethicis, ut nos docuit experientia. Cremorem uerò ptisanæ frigidum potatum laudo quoniam & si frigidum potatum sit, ultra quod in uentriculo non multam trahit moram, ipsum non infrigidat, sed calefacit, & per corpus digeritur, in eoque operatur sua frigiditate, atque humiditate potestatiua adiuncta tamen à frigiditate actuali, cum qua cremor talis potatus fuit, quæcunque uerò edulia longiorem in uentriculo trahent moram, puram frigiditatem obtinere non ualent, ipsum enim fortassis refrigerant, & eorum concoctio in uentriculo, & toto corpore impeditur. Hortor igitur, ut quæ edulia ethico condonantur, nisi potiones fuerint, pauco quodam incalescant calore, & hæc doctrina est Galeni decimo methodi capite undecimo, ob quam rem cibus conueniens adolescenti tuo, unus talis est, pullam elixatam cum lactucis & portulacis, & cum cucurbitæ portiunculis nisi tempus obstet, quod si sic cum pulla semina maiora frigida coquantur, & talem comedat carnem, cum herbis, & cucurbita, & aliis quæcunque alterabunt ius pullæ ad frigidum & humidum, fercula quoque ex quocunque sibi conuenienti fuerint, cum iam iure dicto parentur nullo addito sale, uel paucissimo, sic & paratu eodem conuenientes illi carnes præparabis, quoniam his complebuntur intentiones curationis ethici, uidelicet abolitionis consumptionis, & alterationis ad frigidum, & humidum, item ethicæ conueniens est, si comedant madefactum, & bene dilutum panem in aqua frigida, ut dixit Galenus, ubi etiam panis ipse modico uino aquoso fuerit superasperfus idoneus est, tale enim uinum infrigidat, & humectat, quoniam in omnibus dispositionibus assimilatur aquæ, ut ait Galenus ter



tio de ratione victus acutorum, commento primo, & se-  
 ptimo, & in libro de antidotis, Tale namque uinum ethi-  
 cis non denegarem ad Galeni scopum. Vinum autem uino-  
 sum, & potens, crassumque & rubeum, nigrumue ipsis de-  
 negarem: quoniam nedum calefacit, uerum & exsiccat, ut  
 ait Galenus locis dictis, & quinto aphorismorum, commē-  
 to quinto, eorum igitur potus peridoneus est aqua hor-  
 dei, si uirium uigor adfuerit. Vbi uero uirtus adeo imbe-  
 cillis est, & corpus satis consumptum, tribuerem eis uinū  
 non aliud, quam aquosum, quod si tale apud nos non in-  
 ueniretur, tunc eis darem uinum tenuē album, bene aqua  
 mixtum. Vbi uero maior roboris imbecillitas, quam exi-  
 gat uigentia febris ethicæ adesset, eis contribuere uinum  
 mediocris facultatis, mediocrisque coloris auderem solius  
 maioris nutritionis gratia, cibaria quoque alia, quæ sui na-  
 tura infrigidantia sunt, & humectantia huic adolescenti  
 sunt optima, & in sui communi esu parentur cum papaue-  
 ris modico succo uel seminum quattuor communium fri-  
 gidorum emulsionibus, uel amigdalorum lacte, uti sunt.  
 Cancris fluuiales, & limaciæ, & testudines nemorales, neque  
 asperno testudines in aquis degentes. Laudo quoque par-  
 uos pisces squamosos, petrososque, de torrente, uel libero  
 mari, ei enim pisces in cænosis aquis, & paludibus & non  
 fluentibus, sed stantibus admodum sunt contumaces, quo-  
 cunque paratus genere condiantur, quæcunque uero edu-  
 lia ei conuenientia sunt, conuenientiora quippe erunt, si  
 cum lacte tum uaccino, tum caprino, uel ouino parentur,  
 quod si fuerint cibaria illa, pisces, uel alia quæcunque in  
 sua substantia uiscitudinem obtinentia, cum fœniculo, uel  
 petrosilino lacte iunctis condiantur, & si etiam forent car-  
 nes, quas ei peridoneas esse in genere diximus, ut carnes  
 pullorum, gallinarum, caponum, fasianorum, perdicum,  
 uituli lactantis, hædi, agni, cuniculi iuuenis. Hæ enim car-  
 nes silacte parentur, & cum eo coquantur edulia erunt cō-  
uenientia



uenientia, in frigidat enim & humectat lac, nutritque copiosius, & hæc maximè ethicis peridonea sunt. Panis eius sit de flore farinae, non admodum coctus, ita, ut exteriora ambusta sint, interiora incocta, non sit salitus, neque multum fermentatus, sal inquam, anxiatium est, præsertim in capite, ut ait Galenus secundo, de compositione medicamentorum secundum locos, capite decimo octauo, multum uerò fermentatus panis, in acidam qualitatem uertitur in uentriculo, ut ait Auicenna secundo canone, capite CCLXXXV. Gaudeat & lætetur, quoniam hæc corpora impinguant, utatur somno, & quiete quoniam humectat, non tristetur, non irascatur, non ferat angustiam, non odium, non immodicè uigilet, hæc enim non solum nostra corpora exsiccant, sed & ea à sua naturali temperie permutant, ut ait Galenus tertio artis medicæ. Non toleret immodicam famem, & sitim, hæc enim nostra corpora exsiccando consumunt, nempe peractis, obseruatiscq; his, quæ ad uictus rationem pertinent, nondum tamè æger ad illam, quam sperabat sanitatis latitudinem peruenit, opinor fore bonum medicum regere corpus, siue paratum ad ethicam, siue iã ethicum factum sit his, quæ sola alteratione uestiuntur, neglectis omnibus quibus humores corporis excernuntur, nisi cum ethica humorum putredo adfuerit.

Consulo igitur, ut numero dierum decem cuiuslibet mensis apud diluculum, capiat. Vnc.iii. sequentis syrupi, superdormiatque. Rccip. florum uiolarum, florum nymphaeæ, ana. Vnc.i. iuiubarum, sebesten, passularum enucleatarum, glycirizæ mundæ, ana. Vnc.i. & med. summitatum papaueris albi, foliorum lactucae, portulacæ, endiuia, scariolæ, epaticæ, ana. M.i. & si forte fortuna temporis occasione herbas non reperies, earum seminibus in decocto utaris, quatuor sem. maiorum frigidorum, sem. maluæ, ana drachmas tres, bulliant omnia in conuenienti quantitate aquæ fontis claræ, donec ad medietatem aqua consumatur. coleturque



coleturque residuum, quod remansit, & addita zucchari albisimi debita quantitate, arte conducatur syrupus. Quo sic utaris. Recip. syrupi præscripti. Vnc. iii. aquæ hordei. Vnc.iiii. misce pro uice una, & potet frigidum, in aeris cōstitutione calida, in aliis uerò propter ea, quæ iam dixi uētriculi occasione, remisius frigidum, frigidum tamen sorsbere poterit, huius enim potionis facultas est infrigidare, & humectare, quod ethicis, uel ad ethicam paratis peridoneum est. Hortor quoque, ut adolescentulus iste crebro utatur sequenti unguento, quo ungantur pectus, spatulæ & tota dorsi spina.

Recip. mucilaginis sem. citoniorum, mucilaginis sem. psyllii, olei uiolati loti, butyri recentis loti, lactis mulieris quæ puellam pepererit, ana. Vnc. ii. gummi arabici, dragaganti, infusorum in aqua rosata, ana. drach. iii. camphoræ, drach. i. & med. omnia simul bene ducantur in mortario, & cum cæra alba quan. suff. fiat unguentum molle. Crediderim etiam sequentem mixturam eidem idoneam esse, si crebris uicibus ieiuno uentriculo eius potionem ingurgitaret.

Recip. candi, penidiarum, ana. Vnc. i. gummi arabici, dragaganti amidi, ana. drach. ii. quattuor sem. maiorum frigidorum, ana. Vnc. med. sem. endiuia, sem. portulacæ, seminum maluæ, ana. drach. ii. pinearum mundatarum, pistaciorum mundatorum, ana. Vnc. i. & med. amigdalarum dulcium mundat. Vnc. med. semin. papaueris albi, drach. ii. & med. conseruæ nenufaris, conseruæ uiolarum, conseruæ testudinis nemoralis, ana. Vnc. i. diamargaritonis. Vnc. i. & med. cum zuccharo albisimo quan. suff. fiat electuarium. Vbi uerò habitis præsiidiis adolescens non præualuerit, obseruet, quod de potu lactis dixit Galenus decimo methodi capite undecimo, & quinto methodi, capite duodecimo. Lac enim, ut ait Galenus mirificam plane uim habet ad eos, qui ethica febre tenentur, cum eius facultas infrigidandi sit, humectandique, & nutriendi, dixit quoque ubi uerò



ro febris iam traxerit, dandum planè est Asininum lac, diligenterque obseruato, ne in uentriculo coaguletur, quod utique prohibet, si illi admisceas aut mellis, aut salis exiguum. Vere tamen abstinendum est quoad fieri potest, in ethicis febribus à melle, atque idcirco etiam à mulsa quippe protinus uertitur in bilem, & sicciores, acriorisque caloris febres reddit. Modus autem exhibitionis lactis uideri poterit à Galeno, ut supra, & à Principe prima quarti, capite, de ethica febre, quodcunque & cuiuscunque lac etiam exhibere decreueris, usus quoque balnei dulcis aquæ admodum febrienti ethica febre à Galeno commendatur. Tu autem cōsiderabis dicta eius, ut supra, & omnem obseruantiam, & modum, quem ipse præcipit, facile sequi poteris. Vnum tamen annotatione dignum est, Doctor Excellentissimus, cum ulcera adolescentis, & illius ethica febris indicationes habeant oppositas, & modos curationis contrarios, non simul eodem medicamento curari poterunt, nisi cōfidentiam habebimus in opere uirtutis discretiæ, huic & alteri quod suum est contribuentis, & tunc ægroto medicamentum, uires habens oppositas, facile simul condonare poterimus. Satius tamen esse opinor ei attendere, quod magis infestat ægrum, uel uni affectioni uno tempore succurrere, alteri uerò, tempore alio, & sic alternatis temporibus procedere, donec utraq; affectiones propulsas esse iudicabimus. &c.





# AD STRUMAS

Pro Nobili Iuvene Iosepho

Tridentino,

## Consilium XXXVII.



Nobilis Iuuenis Dominus Iosephus Tridentinus temperaturæ naturalis pituitosæ cū insigni admixtione melancholiæ corripitur quibusdam fraudulentis, & putridis ulceribus, hinc & inde in aliquibus sui corporis partibus, uagantibus, in aliquibus uerò affixis, & detentis, quæ, ut aiunt, sibi nomen strumarum uendicarunt, Quod apud me sub dubio relinquitur, cum dicat Galenus decimo quarto methodi, locum, cui strumæ contingunt maximè fore in animalis corpore, molles carnes, dixit quoque Galenus tertio aphorismorum, comméto uigesimo sexto. Strumas in illis animalis partibus progigni, ad quas per naturam accumulatur molles carnes, & adenosæ, ueluti in inguinibus, alisque, & gula, quemadmodum in Nobili iuvene nequaquam repertum est, cum eius partes affectæ fuerint ossuosæ, atque neruosæ & duræ. Sanè igitur siue propriori nomine strumæ ulceratæ uocentur, siue communiori uocabulo ulcera fraudulenta, & putrida dicantur, cum sciam ego horum omnium causam fore unam, proculdubio in modo nostræ curationis, nullum commitemus errorem, confisi quippe quod medicamenta, quibus strumarum causas abolebimus, ita & eisdem purulentas superfluitates in ulceribus suæ Nobilitatis tollemus. Quo fit, ut natura beneficio artis adminiculata ea consolidare ualeat.

### CAUSAE MORBI.

Sanè igitur dico horum ulcerum, sicut & aliorum morborum



borum naturalium tria fore causarum genera, videlicet, procatharticæ causæ, & præcedentis, & contentiuæ, ut dixit Galenus septimo aphorismorum, commento tertio, & in libro de causis pulsuum, ad principium. Procatharticā in nobili Iuvene puto fuisse indebita uictus ratio in cibo præsertim, & potu, conducentibus succum crassorem, concoctioni contumacem, quo fit, ut illo multiplicato humore admoueatur causa præcedens, quæ est totius sui corporis plenitudo, ex humoribus crassis, qui immodica iecinoris extra naturam caliditate, effecti adusti, non sine quadam morsione ad particulas læsas peruenerunt, qui in eisdem decumbentes, & abradentes, ulcera conduxerunt, inducentes sibi nomē causæ huiuscemodi ulcerum. Ob quam rem utramque causam præcedentem scilicet, & contentiuam, uno uerbo comprehendens, dicam sui morbi causam fore, materiā crassam, duram, non quippe per essentiam calidā sed pituitosiorē, & frigidiorē consistentem. Vbi uerò quid caliditatis obtineat, eam illi consentiet uitiatum iecur nō naturali caliditate, quo fit, ut tumores strumarum priusquam ad ulcus perducantur, difficulter ad suppurationem properant, ut dixit Gale. iii. aphorif. commē. xxvi.

### E PRAESAGIA IN MORBO.

T ideo cognitis causis morbi, obseruans ego decretū Gal. i. de ratione uictus in acutis, cō. iii. ubi ait, prænotiones magna afferre cōmoda in actu morborū curatiuo sic dicā. Quæcūq; strumosa affectiones, & si ulcerata, & aperta fuerint, & illis similes in causis ulceratiōes fiūt, & si difficile sanētur, oritur tamē maior, uel minor difficultas merito diuersitatis ætatum corporis offensi, uti dicam facilioris curationis eas esse in pueris, propter etatem ducentem melioris, & pluri alimenti substantiam, & fortiorē, citiorēq; alimenti trāsmutationē, necessariā ad carnis generationē, & solidationem. In senibus uerò impossibilis sunt curationis ob contrarias causas, ob quam rem Nobilis noster



patiēs propter in ætate maiorem puero propinquitatem, agit enim, ut audio, suæ ætatis annum uigesimum primū, minori cum difficultate sanabitur. Iterum dico. Et si struma, & illis similes affectiones, cum tumidæ sunt, & in Tuberculum eleuata absque dolore extiterint, difficilioris sunt curæ, eadem tamen, si aperte, & ulcerosæ sine dolore fuerint, facilioris, & citioris curationis existent. In primis enim indicatur, materiam crassam, & duram, atque scirofam esse, longo temporis spatio egentem, si concoqui debeat. In aliis uerò significatur, ulcus mundum fore à sanie dolorem excitante, & hæc in ulceribus optima uia est, & ulcerum curationis ratio, ut dixit Galenus decimo quarto methodi, capite undecimo. Igitur reddetur curatio Nobilis patientis facilis si, ut ait, ulcera, quibus corripitur indolorosa existunt. Item dico si patiens præbebit seipsum medico, & eius præceptis obtemperet. Et sit medicus gnarus & prudens, quoniam in eo omnia particularia alia cōsentiunt, proculdubio Dei gratia sanabitur, ut ait Hippoc. prognosticorum primo, & aphorismo primo.

## MORBI CVRATIO.

**Q**uoniam morbi abolitio pendet ex amotione causarum illius, ut ait Galenus secundo aphorismorū, commento uigesimo secundo, & tertio artis medicinalis, non ab re duxi in huius morbi profligatione causas illius propulsare. Et ad hoc perficiendum utar triplici instrumento medico, ut obseruat Galenus, in libro de partibus artis medicatiuæ, uidelicet, uictus ratione medicinarum adhibitione, & chyrurgia. At cum uictus ratio cæteris nobilior sit instrumentum, ut ait Galenus, in libro experimentorum. Ob hoc à uictus ratione primum sermonem faciens, dicam.

RATIO



## RATIO VICTVS.

**Q**uod panis eius debet esse de tritico, non tamen ex toto mundo à furfure, quoniam habet uim absterfuiam, discutientemque crassos humores, & non sit ex azimis confectus, non quippe miliaceus, cum humorem crassum progignant, difficilemque discussu, & non sit incoctus, ita, ut interiora cruda sint, exteriora uerò crustacea, & ambusta. Hic enim panis deterrimus difficulter permeans, & malum succum progignens. Vinum eius sit subtile, & album, uel medii coloris, & pauciferum, non nigrum non crassum, non turbidum, non dulce. Talia enim uina sunt ei nocua, & sint aquata dulci aqua pluuiali. Ceruisia est ei nocua, quia humorem crassum adgenerat. Carnes eius laudabiles, sunt, quæ bonum alimētum non crassum, non ualde tenue progignunt: Veluti sunt perdices, fasiniani, turdi, merulæ, capones, pulli gallinarum, francolini, & omnes auiculæ in arboribus & pratis, atque in nemoribus degentes Caro quoque uituli lactantis, iuuenis cuniculi, castrati aniculi, est ei peridonea, leporina uero caro, suilla, bubula, ceruina, & omnium animalium quadrupedum grandium, carnes sunt Nobilitati suæ obnocuæ, quoniam humorem crassum difficile permeabilem adgenerant. Salitæ carnes sunt ei admodum malæ, & quæcunque humores falsos, & nitrosos progignunt. Pisces à tota sui natura, sunt D. suæ contumaces, propter largam, & abundantem eorum humiditatem, præsertim qui aquas cænas, & stantes inhabitant: excrementicii enim sunt, & humidiores plusquàm decet humores adgenerant, naturæ patientis rebelles. Saliti quoque pisces, & fumo exsiccati, sunt mali, & omnia ex multo sale condita, quoniam humores acutos, & mordentes adgenerant. Caseum quoque secundum omnem sui substantiam non comedat, immo in omni eius administratione nocuus est. Oua gallinarum sunt ei idonea, si recentia fuerint, & sorbilia, & in aqua eli-



101      T I O N S I L I V M  
xata, in patellis uerò frixa sunt ei contumacia, fumū enim sibi ipsis edunt, & non sint diu asseruata, neq̄ dura, ultra. n. quod difficulter permeant, sunt crassi, & mali succi progignentia. Legumina omnia sunt ei nocua, & abundantia aromatum, atque omnia acria, & quæcunque olera, & herba, quæ abundantanti humiditate sunt uestita.

Caueat à nimio exercitio, quoniam humores acuit, & à nimio coitu, præsertim supra repletionem, & à nimia quiete, quoniã frigidus, & lentos discussuq̄ difficiles humores adgenerat.

Gaudeat, & lætetur, & cū gaudentibus uitam ducat, non multo utatur somno, quoniã superfluos cōducit humores & somnū fugiat meridianū, superflua uigilia ipsum incomodat, quoniã humores exacuuntur, & spiritus resoluuntur.

Aer illius sit temperatus, uel uergens potius ad siccum, cum cōmunis intentio curationis ulcerum sit exsiccatio.

Corpus eius teneat à superfluitatibus uacuū, si nō natura arte tñ, ut dicemus, & ob hoc ex cōi suo usu utatur attenuante dieta: uesperi uerò parcius mane uerò modeste cōedat.

#### MEDICINARVM EXHIBITIO.

**C**onsulo D. suam, ut si ualide sanitatem suam procurare uoluerit, bina in anno purgatiōe utatur. Prima quidem uernali tempore. Secunda uerò, cum autumnus ad nos peruenire cœperit. Dico igitur, ubi in ulceribus uehemens dolor cum mordicatione, & pruritu, & inflammatione, aliis quoq̄ signis apparentibus de sanguinis missione, quæ omnia prudenti medico tunc assidenti relinquo. Iubere aduentante uere fieri sanguinis missionem primo, ex basilica, iteratoq̄ ex cephalica, cū caput pro parte causam sui morbi obtineat præcedente quippe uentris lenitione. Vbi uerò hæc nō apparuerint, nequaquam sanguinis missio fieri debet propter causam de nimia humorum infrigidatione, quæ nobilitati suæ admodum contumax est. Deum uerò duobus percuntibus diebus, duabus horis priusquã



usquã dies ad nos perueniat, capiat D. sua sequẽtem bolũ.

Recip. floris cassiã nouiter tractã. Vnc. i. Turbith boni, & gummosi subtiliter puluerizati. drach. ii. ex his fiat bolus. Sequenti uerò die, nullo intermisso die, potet diebus septẽ continuis apud diluculum sequentem syrupum.

Recip. syrapi de betonica, syrapi de lupulis, syrapi ros. mellis rosati col. ana Vnc. med. aquarum betonica, lupulorum, fumi terrã, cicorea, ana Vnc. i. misce.

Octauo uerò die duabus horis priusquã nobis sol elucescat, sequentem bibat potionẽ, super quã dormiat donec dies apparuerit. Reci. diasenã lenitiui. Vnc. med. diacatholiconis. dr. iii. cõfectionis hamec. dr. ii. ellectuarii succi rosarũ scrop. ii. turbith subtiliter puluerizati scrop. ii. misce, & fiat potus cum decoctione capitali, & custodiat se illo die modo assumptionis medicinarum. Vbi uerò D. sua præsentiã neũ præsidiũ expedire uoluerit, peracta dicta purgatione, consulo, ut seipsum cum debita diætã, disponat se ad potũ aquã ligni guaiaci. Vbi in infusione decoctioneue, apponantur folliculi senã, polipodii quercini, betonica, ana. Vnc. med. Turbith boni, drach. ii. uini albi potentis libr. med. buliant omnia simul secundum consuetam artem, & ea utatur potione diebus quadraginta, cum prouocatione sudoris, & obseruantia generalium, & particularium, quã relinquo, tum consideranda, tum expedienda à Doctis & prudentibus suis medicis. Quòd si fortẽ fortuna Dominatio sua non consentiret potui aquã dictã, non dubito illi fore elegans, & admodum utile præsidium, si transferat se ad balnea de aquis in Comitatu Pisano. Et ibi moram ducat per dies quinquaginta, continue, & quotidie ulcerata membra per sex horas in balneo illo detinendo, secundum modum, & obseruationem quam exactẽ intelliget ab ibidem assidentibus, & spero Dei auxilio Domin. suam à morbo illo maligno releuari, ubi uerò adhuc his peractis Dominatio sua uellet præseruari, ne

per



C O N S I L I U M

per tempus caderet iterato ad morbum, uel ad minus a deteriori caueret lapsu, consulo, ut omnibus quindecim diebus apud diluculum ingurgitet sequentem bolus.

Recip. zinziberis uiridis, conseruæ rosarum, ana. drachmas duas, Turbith boni bene puluerizati, drachmas duas, misce, & fiat bolus. Et aliquando loco boli capiat sequentes pillulas.

Recip. pillularum de fumo terræ, pillularum aurearum ana drachmam mediam, Turbith boni puluerizati, scropulum unum, misce, & fiant pillulæ sex pro duabus uicibus. &c.

Consulo quoque, ut aliquando uidelicet, semel in anno, uel bis, ut uere, & autumnno faciat sibi admouere tres hæmorrhoidibus hyrudines, quoniam in omni morbo sapiente aliquid melancholici, admodum utiles sunt. Ob illud Hippocrat. dictum, Melancholicis, & nephreticis hæmorrhoides innatæ bonum.

Et quoniam quotidiano præsidio eget locali, quo membrum ulceratum confortetur, & ulcus mundificetur, & exsiccetur.

Consulo igitur, ut ad intra uulnera, & caua ulcera, cum tenta non acuta propter membrum esse neruosum, sequens unguentum imponatur, & mane, & uesperis mutetur, in eo enim est uirtus confortatiua, abstersiua, & mundificatiua, exsiccatiuaque, ac consolidatiua.

Recip. unguenti diaponpholigos Vnc. ii. unguenti de minio, Vnc. i. unguenti uiridis. Vnc. med. misce, & diu in simul agitentur, donec bene incorporentur, supra uerò membrum, ut eius natura conseruetur, apponatur sequens unguentum supra petiam lineam extensum.

Recip. litargirii argentei pluries loti cum aqua solatri, Vnc. vi. unguenti rosa. mesue, uncias quattuor, olei rosa. in mortario plumbeo bene ducti, uncias tres, misce, & ducatur donec fiat unguentum, & ubi induretur, cum di-



Ad oleo molle fiat. &cet.

Aduentante uero autumnis tempore consulo D. suam iterato purgari. In primis igitur deglutiat post mediū noctis sequentes pillulas.

Recip. pillularum de fumo terræ pillularum aurearum, ana drachmam mediam, pulueris Turbith, scropulum unum, misce, cum syrupo de stacade fiant pillulæ numero quinque.

Sequenti uero die per septem dies continuos sequentē apud diluculum potet syrumpum.

Recip. syrapi de stacade, syrapi de betonica, syrapi rosati, ana drach. v. Aquarum betonicae, lupulorum, plantaginis, ana Vnc. i. & med. misce pro una uice.

Octaua uero die, duabus ante lucem horis, capiat sequentes pillulas.

Recip. pillularum cochiarum almansoris, pillularum foetidarum, ana drachmam mediam, pulueris Turbith, scropulum unum, misce, cum syrupo de lupulis fiant pillulæ numero quinque.

Tempore uero hyemis ueniente consulo, ut omni septimana ingurgitet semel sequentem bolum.

Recip. Turbith optimi & bene puluerizati drachmam unam, conseruæ zinziberis Vnc. med. misce, cum zuccharo fiat bolus.

Vbi uero prædicta non contulerint, uel adhuc si contulerint in actu præseruatiuo, & in euacuatione causæ præcedentis. Consulo, ut in eo duo de membris sui corporis urantur. Vnum quippe brachium sinistrum in parte syluestri per quattuor digitos infra spatulæ iuncturam, diuertet enim foramen illud, & simul euacuabit à capite, cum putem suæ Nobilitatis morbum magnam habere causam caput ipsum. Alterum uero erit crus dextrum, ut scilicet, in illo admoueatur cauterium in parte syluestri per quattuor digitos infra genu. Ad illud enim foramen, ut ait Galenus



lenus in Epidemiis omne totius corporis superfluum con-  
 ducitur, quo fit, ut auersione, & euacuatione materiae ad ex-  
 tra corpus, & prohibitione fluxus materiae ad locum ulce-  
 rum relinquatur ulcera priuata, & libera à causa utraq; ui-  
 delicet, praecedente, & contentiua, & sic natura adminicula-  
 ta beneficio artis nostrae ulcera Deo uolente considerabit.  
 & cet.

Hæc scripta sunt currenti calamo, a' Benedicto  
 Victorio Faentino, in Docto Gymnasio  
 Bononiensi Theoricam medicinæ  
 publice edocente anno Christi  
 M D XLIX. Die sexto Ianua-  
 rii, & ætatis suæ anno  
 septuagesimo, ad  
 Dei gloriã, &  
 Christi Do-  
 mini no-  
 stri.

Amen.

FINIS.





## AD IMPETIGINEM

Pro Nobili Vxore Magnifici Domini  
Alexandri Martinelli  
Cesenatis,

## Consilium XXXVIII,



Nobilis, ac Magnifica Domina Bernardina Vxor Nobilis, & Magnifici Domini Alexandri de Martinellis de Cesena, temperaturæ ut aiunt biliosæ, quam comitatur insignis gradus adustionis, ob quem non fugiet nobilitas sua aliquid atræ bilis in eius naturali temperatura, quo fit, ut Domina hæc procliuior sit ad morbos atræ bilis participes, quoniam à similibus intemperantiis facilius læduntur naturales temperantiæ: à dissimilibus uerò difficilius, ut ait Galenus tertio artis medicinalis, & in secundo aphorismorum, commento trigesimo quarto. Sanè cum hac naturali temperantia ipsa corripitur, ut aiunt, quadam cutis turpitudine, seu infectione, quam neoterici scriptores impetiginem uocant, non quippe recente, & noua, sed septennio antiquata. Quam suæ nobilitatis medici, eam impetiginem esse nouerunt ob Galeni dictum in libro medicarum finitionum, ubi ait, Impetigo est summæ cutis asperitas cum multa prurigine, quæ finitionem compleuit Galenus in libro introductio, seu medicus, ubi ait, & squamulæ in ea ex cute abscedunt, sub quibus locus rubicundior ferèque ex ulceratus apparet, & huius impetiginis cutem molestantis duæ sunt species, Vna quippe mitior est, curatu facilis, & est ut dixit Auicenna quarto canone, sen. septima, tractatu tertio, capite tertio, humida sanguinea, quæ cum fricatur apparet ros, & est salubris magis, cum in ea uitium sit in sanguine,

HHHh

qui



C O N S I L I V M

qui facile ad benignum reduci ualet, altera uerò species ef-  
 fera dicitur, est enim siccior, & difficilius tollitur, & hæc est  
 ut aiunt, quæ Dominam hanc admodum molestat, & hu-  
 ius causa est. Pituita salsa, & flaua bilis, quæ per ulterius a-  
 dustionem in atram uertitur bilem. Ob quod inquit Gale-  
 nus secedunt squamæ ex cute, ueluti in falsuginum uasis  
 fictilibus, & hæc species fera impetigo nominatur, ut ait  
 Galenus sexto de compositione medicamentorum per ge-  
 nera, quoniam à medicamentis imbecilliter siccantibus ni-  
 hil iuari uidetur, à ualidis autem irritari. Et non lateat te  
 quo ad materiam idem esse impetigo, & serpigo, quia stat,  
 & erodendo non permeat, impetigo dicitur, ubi uerò ero-  
 dendo serpat, serpigo nominatur, & si in utriusque modo  
 curæ nullo utemur discrimine, & impetigo nomen est de-  
 ductum ab impetu, quoniam cum impetu inuadit corpus  
 & ipsum dehonestat.

Impetiginis huius Nobilis Dominæ, uno, uel pluribus  
 trium instrumentorum curari poterit, aut uictus ratione,  
 quam illius Doctis, & expertis medicis relinquo, qui eam  
 plurimo iam peracto tempore nouerunt. Tum quo ad  
 eius naturam, & robur, & mores, & consuetudines, & hu-  
 iusmodi, à quibus pendet uictus ratio, Quorum ipsi per  
 præsentiam, exactam cognitionem habebunt, tum eorum  
 quæ particularia sunt, & suæ Dominationi ex usu conue-  
 nientia: tum eorum, quibus per abusum ipsa appetit, uti-  
 turque. De quibus omnibus non nisi per præcepta uniuersalia loqui possumus, satis à sensibus nostris remota: ob  
 quam rem satius est in rationis uictus moderatione tace-  
 re, & prudentibus medicis coram assidentibus opus remit-  
 tere, quam nos, temerè pronuntiantes falli. Ratio enim ui-  
 ctus quotidiana ab ægrotantibus desiderari debet, & eius  
 crebro memorari, quod præsentium officium est, & non  
 eorum, qui longè ab ægro distant. Secundum instrumen-  
 tum est, medicinarum exhibitio. Tertium uerò manum  
 operatio,



operatio, ut ait Galenus in libro de partibus artis medica-  
tiua & princeps quarta primi. &c.

## PROGNOSTICVM.

**A**T quoniam præfagium de termino morbi ad bonū,  
uel malum, multa affert commoda, in modo curæ  
morborum, ut ait Galenus, in primo de ratione uictus in  
acutis, commento tertio, Ideo præfagiendo dico prius,  
quoniam indubitata fides adhibeo illi Excellenti me-  
dico, qui nos certiores fecit de huius Dominae affectu, uide-  
licet, quòd eo septennio molestata est, sanè reddetur cura  
admodum difficilis, & ubi ad bonum terminum ducetur,  
hoc non nisi in longo temporis interuallo fiet, tum ob id,  
quod dixit Galenus in libro introductio, seu medicus. Al-  
tera est cætera, quæ difficilius tollitur: tum quoniam quod  
antiquatum est efficitur, ueluti habitus, qui cum difficul-  
te tolli potest. Et ob hanc rem dico secundo Impetiginem  
hanc in Nobili Domina diuturnam factam, facile in leprā  
uerti posse cum lepra sit cutis fœdatio mutata in habitū,  
qui præter naturam est cum asperitate & pruritu, ac dolo-  
re, & nonnunquam cum decidantibus squamis, ut ait Ga-  
lenus, in libro finitionum medicarum. Quod si non in le-  
pram antiquata impetigo uertatur, nihil oppugnat eam  
facile uerti posse in psyracium, genus quoddam pustula-  
rum subalbidarum, & acutarum, caput præsertim infestan-  
tium, aut in psoram, quæ est scabies magis ulcerata, quo-  
rum omnium deterrimum est, & naturæ humanæ contu-  
max, cum pituita falsa eorum omnium causa sit, ut ait Ga-  
lenus. Dico tertio, si impetigo Nobilis huius Dominae fue-  
rit humida sanguinea, cuius indicia iam diximus, minoris  
erit malitiei, & citioris curæ, quàm si sicca solum fuerit Sic  
cum enim non ita obedit resolutioni uti humidum, ut ait  
Aristo. quarto metheororum. Dico quarto, si huius Nobi-  
lis mulieris impetigo à septennio caput eius, uel faciem  
continue infestauerit, iudicium medici certius efficietur



de cōuersione eius in lepram, indicat enim Principem partem idest cerebrum, in quo est minera generationis falsæ pituitæ admodum affectum esse, & procliuius ad eam pituitam falsam progignendam, nisi repēte ei succurramus, tum ex conuenientis obseruantia uictus rationis, tum ex salutaribus præsiidiis dicendis. Dico quinto, quod ubi impetigo nobilis mulieris per conuenientia medicamenta curationem non accipiat, sed serpendo hinc & inde per corpus permeat, hortor tunc medicum, eam curare debere cura lepræ, facta enim erit habitus ad quem symptomata lepræ sequi quisque facile comprehendere poterit, & hoc dixit Princeps septima fen. quarti canonis. &c.

**CVRA IMPETIGINIS.**

**I**mpetiginis huius Nobilis Dominae curationem aggrediar, his, quæ in sequenti sermone nota faciam, quibus instrumentum medicationis secundum complebitur. At occurrunt mihi duæ intentiones huius morbi curatiuæ. Vna quidem generalis, altera particularis, ex generali igitur intentione dico cum Galeno sexto, de compositione medicamentorum per genera, quod cum à medicamentis imbecilliter siccantibus nihil impetigini conferri uideatur à ualidis uerò irritari, opus est in his uti medicamento efficaci abunde, non quippe uehementer mordaci, quoniã talia medicamenta sui mordaci acrimonia erodendo ulcerant, ulceraque profundant, & hoc syluestri & feræ impetigini ualde noxium est, sint igitur medicamenta impetigini congruentia, ex artificiali quadam coniectura composita ex his, quæ experientia probata sunt abunde acribus, tenuiorum partium digerentibus, habeantque medicamenta talia citra rosionem detergendi facultatem, & uim aliquam adstrictoriam, habeant quoque quædam eorum, uirtutem leniendi, ut ea in tali compositione, acrium pharmacorum



macorum uehementiam leniant, simulque humores in afflictis particulis concoquant, simplicia autem medicamenta, sanè ualida in impetigine, acria quidem, & tenuiorum partium, ut ait Galenus sunt pyretum, synapi, coccus, gni dius, stercus columbi, erugo, bacca lauri, nitrum, sal armoniacum, & acetum forte, & sulphur, & argentum uiuum, & spumam maris, & glutinum decoriis & huiusmodi. Detergentia autem & lenia, mordaciaque sunt. Yris, & Aristolochia, mirrha & staphisagria, & talia, ut cuminum, semen erucæ, ciperum, & sine morfu exsiccant, & quandam habent uim adstringentem, pariter quoque & æris squama. Et quoniam hæc acria sunt, mordacique facultate uestita, Decoctio caricarum uehementiam morsus in his admodum mitigat. Quo fit, ut si hæc sua sicca acrimonia, impetiginem ulcerarent, profundarentque, humido quippe iniecto, effectus talis à medicamentis aboleretur, uelut est succus melonis, & emulsio seminum eius, & succus cidoni, & eius mucilago, & succus portulacæ, & mucilago psyllii, & alii humidi succi, & gumma prunorum, & huiusmodi, quæ sui humiditate uirtutem mordendi hebetant, & iuuant ad digerendos humores.

Dico secundo in eadem generali intentione cum Galeno in libro medicus, Quod medicamenta impetigini idonea per intrinsecus sunt, quæ pituitam mouere ualent. Cum affectus is, à pituita salsa ortum habet, at quoniam per adustionem in atram bilem uertitur, ideo medicamina melancholiæ dicata etiam conueniunt, & easdem intentiones generales habuit Auicenna, septima quarti.

Singulares autem intentiones medicationis impetiginis huius Nobilis Dominae plures nobis occurrunt. Vna est sanguinis missio, & non latet me, quod cum affectio aliqua sit, cuius uitium sit in sanguine, tunc sanguinis missio cum uniuersalis sit euacuatio, in ea præmitti debet.

Ob



Ob quam rem si Nobilis mulieris impetigo humida foret, ac sanguinea, proculdubio etiã in uenis superioribus sanguinis missionem non aspernerem. Cum hoc ex Galeno in libro de sanguinis missione præceptum habeam, uidelicet sanguinis missionem, sanguini peccanti attributã esse, at ut potui ex enarratis indicis coniectari, impetiginem suæ nobilitatis fore siccam, aridamque, trahentem ortum à flaua bile, uel falsa pituita, ex quarum adustione fit atrabilis, quæ omnia sanguinis missionem renuunt, idcirco hanc Dominam alio ingenio, quàm sanguinis missione ex uenis superioribus medicari conabor. Tum quoniam in ea ægritudo est uetusta, terrea quippe facta, ac frigida peccans materia, cui ualde oppugnat sanguinis missio, cū ipsa maximè infrigidat, ut ait Galenus in libro de sanguinis missione, & ob hanc causam puto missionem sanguinis ex uenis superioribus ei cōtumacem fore. Tum etiam quoniam ipsa bonum raperet scilicet sanguinem aliorum humorum malam naturam corrigentem, & malum relinqueret, scilicet humores facientes impetiginem, qui in uitio concresecunt, ob sanguinis euacuationem prædictos humores moderantem. Sed ut mihi obiicias nollem, cum sanguinis missio multitudinem euacuat, ut ait Galenus de curatione per sanguinis missionem, & princeps quarta primi capite uigesimo. Igitur ea nedum sanguis euacuabitur, uerum & humores noxii tollentur ob quod corpus a causa morbi alleuiatum, ad meliorem statum ducetur. Nisi esset, quod nocumentum, quod fit in impetigine ex euacuatione sanguinis relinquentis prauos humores dehonestantes totum corpus, maius foret, quàm sit iuuamentum, quod eidem contingere potest ex sanguinis missione, non enim ob eam alleuiabitur corpus, cum maior quãtitas prauorum humorum relinquatur, quàm eorundem simul cum sanguine euacuatur. Quo fit, ut totum corpus tunc ex sanguinis missione magis ex impetigine deturpe-



tur ob priuationem sanguinis defensantis corpus, ne impressio uitio ab illis humoribus cadat incrementum impetiginis, uel irruat in lepram, aut psoram. Tum etiam non conuenit sanguinis missio ex uenis superioribus in impetigine fera, & antiquata, quoniam cum talis trahat ab extremis ad intima, quod natura tentat excernere per partes externas, sanguinis missio reuocaret ad internas. Quo fit, ut uitium externarum partium trahetur ad internas partes, quod maxime nocuum est corpori. Et quoniam in hac Domina impetigo antiquata est, & facta uti habitus cutis, ad interna non posset reuocari, nisi magna occurrente uolentia, in uniuerso corpore. Ob quam rem sub silentio præteribo, mulierem hanc nobilem submitti debere missioni sanguinis in superioribus secta uena. At quoniã in sua nobilitate impetigo est ex uitio humoris atrabilarii, orti quippe ex adustione falsæ pituitæ, & flauæ bilis, sapientis quippe naturam elementi terrei, ob hanc causam aperta fronte iuberem uenas aperire hæmorrhoidales, quoniam earum sanguis crassus est, turbidus, ac feculentus natura abundans elementi terrei, ex quo corpora nostra procliuiora sunt in cutis defedationes incidere, ac melancholicas affectiones, & liberalius id approbo, quoniam uidi Principem septima quarti, capite de cura impetiginis, ubi ait. Et appositio sanguisugarum est de melioribus medicinis eius. Sane consulo, hanc euacuationem sanguinis ex hæmorrhoidibus lenitione alui præcedente, bis in anno fieri debere, uidelicet ueris tempore, ob illud Hippocratis tertio aphorismorum, commento uigesimo. Vere enim & lepræ, & tusses, & impetigines, & uutiligines. Demum & tempore autumnii, ob id Hippocrat. tertio aphorismorum, commento uigesimo secundo. Autumno uerò furores, & atræ biles. Sed non latet me, quod ubi Domina hæc forte fortuna in hanc affectionem inciderit, sicuti alias uidi ex mensium suppressione iam facta, Dubio  
procul



procul auderem supra sanguinis missionem facta in talo uena interna, quam saphenam dicunt. Hic enim sanguis & ipse crassus est, sapiens naturam sanguinis, qui per hæmorrhoidas mittitur, ut in de missione sanguinis dixit galenus. Sanè in impetigine contingente, uel conseruata ex mensium suppressione, putarem apertionem hæmorrhoidarum contumacem esse. Quoniam deriuaretur sanguis ad contrariam regionem suæ consuetæ euacuationis, & hoc maxime à medico considerandum est, iuxta Galenum primo aphorismorum, commento uigesimo primo. Et Auicenna quarta primi.

Altera singularis intentio curationis impetiginis nobilis mulieris, est euacuatio causæ morbi, cum enim morbus sit de plenitudine eius curatio est euacuatio, ut ait Hippocrates secundo aphorismorum uigesimo secundo. At cum ægritudo dat moram præesse debet concoctio causæ morbi, ut ait Hippocrates primo aphorismorum, uigesimo secundo. Sanè & præparare eam oportet, ad faciliorem excretionem, ut Dixit Hippocrates secundo. aphorismorum nono. Ideo consulo, ut duobus anni temporibus uere scilicet, & autumno nobilitas sua submittatur purgationibus, ea enim purgationibus peridonea sunt tempora, ut ait Galenus in libro de curatione per sanguinis missionem.

Initiante igitur uere, consulo Dominam hanc ingurgitare sequentem bolum apud diluculum, cassiam recenter extractam accipito, pondere septem drachmarum, cui unciam mediam diasenæ lenitiui iniungito, & bolum conficito, & mulieri dato, isto enim materiæ existentes in uis latis, fouentesque proprias materias impetiginis euacuantur & ubi aliqua etiam pars materiæ propriæ excerneretur, hoc nihil absouñ puto, quoniam uirtus à parte materiæ exonerata, reddetur potentior supra residuum concoquendum, & idem excernendum, ut ait Galenus secundo aphorismorum, commento uigesimo nono.

Cæterum



Coeterum sequenti die in diluculo materiam impetiginis, in hac Domina concoquere incipies, quæ cum sit crassa, & sicca, cui commixtum est aliquid tenue, & acutum, non ab re accipies digerentia composita, ut dixit Galenus sexto de compositione medicamentorum per genera, ex incidentibus, & attenuantibus, & humectantibus, atque accidentia impetiginis remittentibus. Talis igitur erit sequens syrupus, admodum in fera, & sicca impetigine peridoneus. Summitates fumi terræ, lupullorum scabiosæ, florum boraginis melissæ, buglossæ, uiolarum, de quolibet pondus uncia unius accipito, cui iungito radices appii, petrosilini feniculi, pondere sex drachmarum. Demum endiviam scariolam portulacam, cuiuslibet pondus duarum unciarum permisceto, quibus omnibus addito folliculos senæ, epytimi, polipodii, quercini, thimi, quorumlibet pondus uncia unius, anisorum, carui, dauci, omnium semina pondere mediæ uncia, omnia simul bulliant in aqua fontis clara, donec medietas consumatur. Demum facta colatura cum melle zuccharino abbrevietur syrupus secundum artem, qui patienti condonetur septem continuis diebus apud dilucum, & super dormiat. Sic igitur potum conficies. Aquam decoctionis cicerum rubeorum, & spice nardi, & squinauti pondere trium unciarum accipito. Cui iungito præscripti syrupi uncias duas, & potui calidum dato. Octavo uero die duabus horis priusquam diei lux ad nos perueniat sequenti pharmaco Dominam hanc purgabis. Mirabulanos indos, citrinos, utriusque drachmas tres accipito, quibus permisceto flores boraginis, senam, polipodium quercinum recentem, passulas, epythimum, de quolibet drachmas tres, omnia simul in aqua lactis caprini ebullito, & cum ea dissolue. Mannæ optimæ unciam unam, uel cassiæ fistulæ unciam mediam, de reubarbaro drachmam unam iungito, cum granis septem spice nardi. Demum his addito ellectuarium de succo rosarum, confectio



nem hamech uniuscuiusque drachmam unam, & cum diaturbith drachma media potum conficito, & patienti dato. Vbi, uero potabiles medicinas ipsa odio haberet, tunc temporis ei conuenientes erunt pillulæ de fumo terræ, pillulæ aureæ descriptione nicolai, pillulæ fetidæ, pillulæ indæ uel separata, uel iunctæ simul, ad quas capiendas faceret sibi usum capiendi drachmam unā, præsertim autumni, & hyberno tempore bis in mense, Nobilitas sua bene habebit. At pillularum uice si ipsa assuesceret semel in septimana potare apud diluculum uncias sex decoctionis folliculorum senæ. Vel uere, & æstiuo tempore eam biberet factam in sero caprino, admodum sibi utile erit. Et ubi domina hæc quandoque potaret hyberno tempore semel in septimana decoctum epythimi in aqua lactis, putarem hoc esse ei peridoneum potum. Non negligat igitur assiduum usum, ut diximus, uel pillularum, uel decoctionum per intercepta tempora inter duas ordinarias purgationes, & ueris, & autumni tempore fiendas, aduentante igitur autumni tempore. Consulo, ut nobilitas sua eadem, uel consimili utatur purgatione, & ubi tunc temporis aliqua particularia ei occurrerent, uel de fienda, aut non fienda purgatione, id relinquo prudentibus medicis nobilitatis suæ.

Cæterum post effectas purgationes, quibus uniuersum corpus intrinsecus est mundatum, consulo cum obseruantia conuenientis rationis uictus ut Dominatio sua extrinsecus utatur his, quibus membra offensa ilinuntur, balneanturque, ut est Galeni præceptum, & Pauli, & Auicennæ.

Quæ siue simplicia fuerint, siue ex simplicibus composita, rem ipsam perficient, & scire debes, quod ubi simplicia dicta seorsum in subtilem puluerem reducta, quæ puluerizari apta sunt, & quæ etiam non in puluerem duci possunt, ut herbarum, & radicum succi cum aceto forti misceantur, & unica ebullitione bulliant. Denique uero offensæ partes præsertim



præsertim caput liniantur, utile præstabunt præsidium, cohibet quoque impetiginem, si cum simplici hominis matutina saliuam eam linieris, ut ait Auicenna septima quarti, & Galenus tertio de facultatibus naturalibus, capite septimo, ubi obsequia matutinæ hominis saliuæ accumulatur, & idem assumpsit Paulus quarto methodi, de cura impetiginis, & non lateat te sequens linimentum impetigini maximè puerorum, præsertim in capite, & facie dehonestanti, si uesperis cum cubare uoluerit patiens, offensæ partes capitis liniantur. Mane uero orto iam sole diluatur caput cum lixiuio ex uitium cineribus effecto. Sane ex eo linimento, lotionequè bis in septimana patienti adhibitis, impetigo sanabitur. Linimentum est tale. Succum fabinæ, adipem porci saliti, ceram citrinam nouam, pinguedinem uiperæ de quolibet unciam unam accipito, & lento igne calefacito, & in linimentum formato. Idem efficit linimentum sequens. Terram saponariam accipito pondere unciarum octo, eique hyosciamum adiccito, & omnia subtiliter puluerizato, & cum uino austero, & mororum succo, & aceto æqualibus partibus pulueres in pastillos formato: quos in umbra siccatos in uas figulinum nouum seruato, omnibusque quinque diebus in decocto caricarum, & aceto eorum uno dissoluto, impetiginem illinito: & cum supra exaruerit linimentum, locum cum prædicto lixiuio abluito, & est expertum. Aliud est linimentum admodum conueniens in efferâ impetigine, & antiquata, uelut in hac Domina reperitur. Squamæ aris libram mediam accipito, cui addito piretri, staphisagriæ coccignidii, seminis synapis, stercoris columbini, Aristolochiæ, æruginis, ciperi, seminis erucæ, cumini, singulorum drachmas duas, salis armoniaci, baccarum lauri, myrrhæ, irridis, singulorum drachmam unam & mediam, omnia in subtilem puluerem reducito, & cum aqua decoctionis caricarum, & aceto pastillos formato, quos in umbra exsiccato, & in prædicto ua-



C O N S I L I V M

se eos seruato: & omnibus sex diebus uno eorum dissolu-  
to cum succo fabinae, & lapacii acuti particulae laesa illinia-  
tur, & cum exaruerit linimentum, diluantur cum aqua de-  
coctionis caricarum, & lapacii acuti, & consimile linimen-  
tum à Galeno in libro sexto, de compositione medicamen-  
torum per genera, mira laude extollitur. Quod non nisi  
horribili, & ardua, ac inobedienti, & antiquata, & procliui  
in lepram impetigini operari debemus. Aliud ex Hippo-  
crate in libro secundo de morbis muliebribus plurimum  
ualens ad impetigines oēs. Myrrhae, pumicis, sulphuris ui-  
ui, nasturgii syluestris, spoliae uiperæ, radicis lapacii acuti,  
spumæ argenti, pondus drachmarum quattuor de quoli-  
bet accipito, & subtiliter puluerizato, & cum aceto uini pa-  
stillos facito, quos exsiccatos in uase recondito, & bis in se-  
ptimana unum eorum cum aqua decocti caricarum dis-  
soluio, & impetiginem illinito, & cum exaruerit cū aqua  
distillationis lapacii acuti locum dilues, & est expertum,  
mente uerò tenere oportet, quod illis linimentis aliquan-  
do exarescunt partes impetigine affectæ, ob hoc consulo,  
ut aliquando infrigidetur, & humectetur locus impetigi-  
nis cum succis herbarum frigidarum, & humidarum, si-  
cut est lactuca, portulaca, & succus cucumeris, & optima  
est in hoc mucilago psylli, & post iterato superponantur  
linimenta, & scire debes, quod infra scriptum balneum  
curat omnem impetiginem, Grana iuniperi rupta, folia  
boraginis, folia scabiosa, folia lapatii acuti, folia fumi  
terrae, lupullos, singulorum pugillos tres accipito.  
Quibus iniungito siliginis, fursuris crassi, albuci, fo-  
liorum rutæ, foliorum agni casti, foliorum citri, folio-  
rum limonis, singulorum pugillos duos, ciperi, sul-  
phuris uiui, salis nitri, salis gemmæ singulorum un-  
cias duas apponito, foliorum malua, uiolaria, folio-  
rum plantaginis, scariolæ, portiuncularum cucumeris,  
& uuylorum quantum manu capi potest, omnia in suf-  
ficienti



ficienti quantitate aquæ ebulliantur, donec tertia pars consumatur: & mane stomacho ieiuno ingrediatur aquam illam calidam, ac optime colatam patiens impetiginem, & in ea moram trahat per tempus horæ unius, uel minus, quomodo sufferre poterit patiens. Cum uerò exierit Balneum, corpore optime absterfo, illiniatur impetigo sequenti linimento. Sulphuris uiui, auri pigmenti, rubei, singulorum uncias duas, accipito, & in subtilem puluerem ducito, & cum succo de fumo terræ fiant pastilli, & cum uno eorum dissoluto in unguento citrino illiniatur impetigo, & crastino aduentante, aqua decocti furfuris diluantur partes illinitæ, & iterum intrabit patiens balneum, ut prius, postea unguatur, ut dixi, & tandiu perseueret, donec cura perficiatur. & cet.

## BALNEA:

**S**ed uenirem ego interrogandus: Nunquid apud nos in Italia aliqua extent Balnea mineralia, quibus absque tot, & tantis illinitionibus, unguentisque, ac balneationibus, Nobilis hæc Domina ad illam, quam iam habuit ualeitudinem Deo uolente reuerti potest, cui dico munitus præceptis Galeni sexto, de compositione medicamentorum per genera, & primo, de compositione medicamentorum per loca, & pauli quarto methodi, & Auicennæ septima quarti. Quòd si quæ Balnea fuerint, quorum minera saluuginosa fuerit, nitrofaque, uel sulphure participans, proculdubio ea impetigini peridonea fore pronuntiabo. Veluti balnea poretana in comitatu Bononiæ existentia, uel de Abbano in comitatu Patauino, non quippe potui data, tunc enim morbus cresceret, sed balneationis forma condonata. At indubitam fidem facio, sicut pluries edocuit me experientia, inter

omnia



## CONSILIUM

omnia Italiae Balnea, quae impetigini conuenientia sunt, unum inuenitur, quod & sui minera, & natura, quam ei Deus concessit, indubitato Nobilem hanc Dominam ad sui iam habitam sanitatem conducet, Quippe si Domina haec, ea aggrediatur Balnea duobus annis non intermissis, & tempus accessus ad ea, est à secunda parte Mensis Madii, in quo Nobilitas sua Balneetur omni die moram trahendo in eo per sex horas, & alternis diebus de mane diluere debet sibi caput tonsis capillis aqua praedicta, & inde id bene exsiccare. Tempus autem, quo continue Domina haec Balneo submitti debet est, donec finierit totus mensis Iunii, & reuertetur Dei gratia munda, ab omni cutis defedatione. Vade igitur Nobilis mulier cum fide, & spe salutis tuae erga Deum, ad haec Balnea, & fides tua te saluam faciet. Haec autem Balnea in Comitatu Pisano existunt, ab omnibus nunc temporis Balnea de aqua nominata. &c.

## POTVS GVAICANI.

**S**ed uenirem secundo interrogandus. Nunquid potus aquae ligni guaicani foret Nobilitati suae conueniens salutis suae medicamentum, cui dico, quod peractis purgationibus, & praecedente sanguinis per haemorrhoidas missione quemadmodum etiam id fieri debet, ante ingressum Balnei de qua, siue uernale, siue autumnale tempus adfuerit, cum in sua affectione aquam decocti ligni guaicani contumiacem non reperiam. Lata mente iuberem, Nobilitatem suam eius ligni potui submitti debere. His omnibus obseruatis, quae ad uictus rationem attinent. &cet.

## CAVTERIVM.

**S**ed tertio uenirem interrogandus. Nunquid per opus, quod



quod urendo medicus exequitur, Nobilitas sua sanita-  
tem concapescere valeat, huic dico quòd cum diurna eua-  
cuatio, in diuturnis morbis perseuerans, & sensim facta,  
maius obsequium ducat, quam repente, & præcipitan-  
ter facta, ut docuit Galenus primo aphorismorum, com-  
mento uigesimo quarto, & secundo aphorismorum, com-  
mento nono. Admouerem suæ Nobilitati duo caute-  
ria, unum quippe in brachio dextro, alterum in crure si-  
nistro, & hoc iuxta præceptum Galeni sexto, de morbis  
popularibus, & Albucasis, ubi aiunt. His ustio-  
nibus exactis, humores prauis, qui totum cor-  
pus occupant, foraminibus illis ad extra  
corpus ducuntur. Ad laudem  
Dei, qui me seruet, & prote-  
gat. Amen. &c.

**FINIS.**





AD MORBVM GALLICVM.

cui adiuncta erat species quædam  
uertiginis, & scotomiæ,

Cum hernia intestinali ferè a pueritia,

Pro Reuerendo Domino Bartholomæo

Vicentino,

Consilium XXXIX.



Reuerendus, & Nobilis Dominus Bartholomæus Vicentinus patitur affectionem illam, quam gallicam solent appellare, cum quadam specie uertiginis & scotomiæ, & cum Hernia intestinali ferè à pueritia. Quibus omnibus affectionibus R.S. à nobis salutaria petit remedia, cui ego satisfacere cupiens, unicuique earum affectionum, remedia conducam, ut deo fauente ad illam, quam iam habuit sanitatem reuertatur.

CVRATIO MORBI GALLICI.

Ubeo, ut sequentem diætam R. S. omni diligentia conetur obseruare, cum omnium ægritudinum potior cura sit uictus ratio, auctore Galeno in libro experimentorum, capite ultimo. Eligat primo sibi aerem non admodum calidum, uel frigidum, ne sui intenso calore humores adurantur, cuius morbi adustio est consocia, & sui intenso frigido intus materiæ compingantur, admodum nervis nocuo. Illius igitur aer non multum recedat à temperamento, potius tamen per calidum naturæ amicum, & humorum concoctiuum, quàm per frigidum unde quaque D. S. nocuum inimicatur enim frigus nedum naturæ,



naturæ, uerum & neruis, & iuncturis, in his dolores progignens. Hortor igitur, ut muniat se, & sua membra in temporibus frigidis condecanti pannorum coopertura, ne ea frigido lædantur. Quippe sit aer illius non admodum humidus, cum sui insigni humiditate superfluitates progignat, & membra, & totum corpus grauitantes. Vitet igitur aerem pluuiosum, & nebulosum, & habitare loca humida, paludosa, & prope aquas sita. Erit igitur aer in passuis ei conuenientior, & temperamēto parum siccior, quoniam temperatior soluit eas, quas solent corpus grauitare superfluitates, & humiditates, caueat igitur R. S. ab austrino flatu, cum ei non adhuc sit conueniens flatus ab Aquilone.

Panis eius sit de tritico, & non de aliis granis quoniam nedum non sunt naturæ amica alia grana, uerum neque boni alimenti. Sitque panis eius de simula idest flore farina, quoniam cum hoc quod cito permeat, & digeritur, est & boni succi, generatius, & sit panis recens, non unius diei sed trium ad plus, & non diu asseruatus, sit condecen-ter coctus, & non quæ exteriora sunt crustacea, uista, obaridaque sint, interiora uerò incocta, hic enim deterrimus est panis & R. S. admodum contumax, & non repleat se multo pane quoniam ex eo repletio est omnibus mala.

Vinum eius, quod ex communi usu bibere debet, non sit album, quoniam uias aperit, & ad membra humiditates conducit & eas grauitat, atque dolores ingerit, non sit nigrum, quoniam sui stipticitate materias in membris detinet, sed sit coloris mediocris, quem cerasolum solent dicere non sit crassum, non dulce, non turbidum, non nouū, omnia hæc uina sunt R. S. inimica, & non sit forte, non acetosum, sed pauciferum, & mollis saporis, & ex sui assuetudine parce bibat, & nisi comederit non bibat, caueat igitur à consortio eorum, qui bibuli cognoscuntur.

Carnes eius, quas ex communi esu comedit sint pau-



ca quantitate, & boni chimi progignentes, atque bonae  
 cōcoctionis, & facilis transitus, ut sunt carnes gallinarum,  
 caponum, perdicum, fasianorum, francolinorum, & om-  
 nium auicularum montanarum, & aliarum degentium in  
 pratis, & arboribus, ut ficedulae, turdi, merulae, turtures, &  
 huiusmodi. Iuuenes cuniculi, vituli, hœdi, sunt ei conue-  
 nientes, & castrati.

Carnes crassorum, & uetustorum animalium, & pedi-  
 tantium, sunt D. S. contumaces, ut bubula caro, & suilla,  
 ceruina, ouilla, & antiqui castrati, & huiusmodi, omnium  
 animalium aquas habitantium sunt ei contumaces car-  
 nes, & anserum, anatum, & similes. Caueat ab omnibus car-  
 nibus salitis, quoniam sal anxietatem parit, & maxime  
 molestum cerebro est, & epati, quæ sunt membra primo  
 patientia in gallica affectione.

Pisces à tota sui natura R. S. contumaces sunt, quoniam  
 frigidi omnes, & humidi sunt abundantia humiditate, ma-  
 xime ei noxia. Vbi uerò pisces essent de libero mari, uel  
 de saxoso torrente, non admodum essent ei contumaces,  
 dum elixentur, uel assentur, & in patellis nullatenus frigan-  
 tur. Saliti pisces sunt ei admodum nocui, & omnia condi-  
 menta, quæ multo condiuntur sale sunt ei contumacia.

Oua recentia admodum ei conueniunt, in aquis elixa-  
 ta, uel sub cineribus cocta, & non in patellis frixa, quoniã  
 sibi ipsi fumum edunt, & diu asseruata oua, & dura nocua  
 sunt ei, sed tremula & sorbilia conuenientia, & præsertim  
 uitellus.

Cascus, nisi recens fuerit, & unius diei est ei incommo-  
 dus, quoniam crassum, uiscosum, & hærentem progignit  
 humorem, qui membris, & iuncturis hærens dolorem, &  
 grauedinem ingerit, & malum in stomacho conducit chi-  
 lum, & quoniam butyrum inflammabile est, facile in cali-  
 dum humorem uertibile, ideo ei nocuum pronuntiamus,  
 & quoniam lac in stomacho debili facile putrescit & qui-  
 bus



bus illa tenduntur, & capiti nocet, R. S. ipsum dene-  
gamus.

Legumina omnia, & quaecunque spiritum flatuosum  
progignunt ueluti castaneæ, & quicunque fructus humi-  
di sunt. ut poma, pira, cerasa, & huiusmodi sunt D.S. con-  
tumacia, & cocta minus lædunt incoctis. Vuæ uerò recen-  
tes, & ficus, non admodum ei nocuæ sunt.

Omnia condimenta ex pasta omnibus suis affectionibus  
noxia sunt.

Omnia aromata, & ex his condimenta sunt admodum  
R. S. rebellia, ut piper, zinziber, crocus, gariophylli, sui  
enim acredine humores adurunt. Vbi uerò parum de cin-  
namomo uteretur, non sibi nocuum erit.

Olera quaecunque frigida, & humida sunt, ei non con-  
ueniunt, ut beta, spinachia lactuca, & huiusmodi. Caules  
admodum ei nocent, & sibi conueniunt, borago, buglof-  
sum, betonica, hyssopus, saluia, & rosmarinus, foeniculus, &  
petroselinum.

Caueat à somno superfluo, & meridiano, quoniam om-  
nium membrorum facultates grauitat, & eorum iunctu-  
ras humiditatibus replet.

Quies est D. S. rebellis ob gallicam dispositionem su-  
perfluo etiam motus admodum ei contumax est, ob id  
quod laborat de uertigine, & hernia intestinali, modesto  
igitur utatur exercitio, cum stomachus non aggrauatur ci-  
bo, & est hora, qua uirtus operatur complementum dige-  
stionis, ut per duas horas ante prandium, & cænam.

Caueat à superflua repletione, tum cibi, tum malorum  
humorum. Consulo igitur ubi Dominatio S. multo se  
impleuerit cibo, si prandendo hoc fecerit abstineat se à  
cæna, si uerò cenando à prandio, & tunc temporis etiam  
parco utatur cibo. Vbi uerò se humoribus repletum co-  
gnouerit, consulo, ut tunc capiat sequentes pillulas, per  
duas horas ante cibum, Recip. pillularum masticinarum

KKK ii conciliatoris,



conciliatoris, pillularum elefanginarum, ana drach. med.  
fiant pillulæ numero quinque tristes animi cogitationes,  
& melancholicas fugiat, quoniam nostra corpora exterminant,  
lætetur igitur, & in iucunditate uersetur, & bene spe-  
ret de sua ualetudine, quoniam bona confidentia est ma-  
gna pars curæ. &c.

**CYRATIO MORBI GALLICI  
PER MEDICINAS.**

**C**onsulo, ut aduentante principio ueris, cum sit tem-  
pus idoneum purgationibus primæ purgationi sub-  
mittatur. In primis igitur per duas horas ante pran-  
dium sumat sequentem bolum.

Recip. floris cassiæ nouiter tractæ drachmas decem spe-  
cierum ieræ simpl. drachmas. ii. misce, & fiat bolus cum  
zuccharo.

Sequenti uerò die tribus continuis diebus sumat in di-  
luculo sequentem syrupum.

Recip. oxymellis simpl. syrupi de fumo terræ, syrupi de  
endiuiâ, mellis rosati col. ana. Vnc. med. aquarum fumi ter-  
ræ, betonice, cichorii, buglosi, ana Vnc. i. misce.

Eodem tertio die, in mane præcedente lenitione uentris  
cum clysteri, communi, consulo, ut aperiatur uena commu-  
nis dextri brachii, sanguisque extrahatur ad quantitatem  
quattuor unciarum. Demum per duos dies sequentes con-  
tinuet syrupum suum.

Sexto uerò die per duas horas ante lucem, sumat sequen-  
tes pillulas superdormiendo.

Recip. pillularum aurearum nicolai, pillularum de fu-  
mo terræ, agarici trociscati. scropul. i. cum syrupo uiolato  
fiant pillulæ numero quinque.

Purgato corpore quiescat patiens per quattuor dies, &  
regat se cibariis laudabilibus, & boni nutrimenti, nimiam  
fugiendo repletionem.

Quinto



Quinto uerò die iterato purgetur, & capiat tribus diebus continuis sequentem syrupum in aurora.

Recip. syrupi de lupullis, syrupi de fumo terræ, mellis rosati col. ana. Vnc. med. aquarum lupullorum, fumi terræ, cicho rii, ana vnc. i. misce.

Tertio uerò die faciat de mane, secundam phleboto-  
miam ex saluatella sinistra manus, cum extractione san-  
guinis quattuor unciarum. Demum duos alios continuet  
syrupos uel tres, & sequente die per duas horas ante lucem  
sumat sequentes pillulas.

Recip. pillularum foetidarum, pillularum de hermoda-  
tilis, pillularum de fumo terræ ana. scropul. i. cum syrupo  
uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Purgato corpore quiescat patiens per sex dies, regendo  
se cibis boni nutrimenti usu tamen moderato.

Sequente uerò die iterato purgetur, & septem continuis  
diebus in diluculo capiat sequentem syrupum.

Recip. syrupi de pomis compositi. Vnc. i. syrupi de fu-  
mo terræ, syrupi de lupullis, ana vnc. med. aquarum lupul-  
lorum, fumi terræ, betonica, ana. vnc. i. misce.

Die uerò quarto assumptionis syruporum, faciat sibi ap-  
ponere uesperis per duas horas ante cænam quinque san-  
guisugas hæmorrhoidibus, cū extractione sanguinis quat-  
tuor unciarum. Octauo uerò die, uel nono, sumat per  
duas horas ante lucem sequentes pillulas.

Reci. agarici præparati, dra. med. pillularū de fumo terræ  
scro. ii. & med. cū syru. uiolato fiāt pillulæ numero quinque.

Purgato corpore quiescat patiens per quattuor dies, in  
quibus præparetur sequens balneum, in quo per septem  
dies alternis tamen diebus debet ingredi in aurora calido  
à collo infra, & in eo morari in proportionato uasculo  
ad minus per dimidium horæ maius uerò tempus est ho-  
ra, & cum egressus fuerit ex Balneo bene totum cor-  
pus abstergat, & confestim ingrediatur lectum cali-  
dum,



dum, & pannis bene coopertum, & dormiat per duas ho-  
ras, uel ad minus quiescat, abundanter sudabit, absterga-  
tur, & surgat, & statim capiat infrascriptum bolum, supra  
ipsum bibendo uncias quinque aquæ endiuia, & non co-  
medat, nisi per quattuor horas post.

Recip. zucchari rosati, zucchari uiolati. ana. drachm. iii.  
misce.

Ultimo uerò die balneationis, consulo, ut in exitu à bal-  
neo ad sit stupharius, qui ei imponat sexdecim cucurbitu-  
las, uidelicet, quattuor in spatulis, quattuor in brachiis,  
quattuor in natibus, & quattuor in coxis, cum extractio-  
ne sanguinis modesta, demum ingrediatur lectum, mo-  
do dicto.

Præterea consulo, ut per decem dies continuos post bal-  
neum in aurora superdormiendo sumat uncias sex iuscu-  
li carnis caponis bene consumptæ detracta pinguedine,  
cum modico zucchari.

Præterea consulo ut post tempus potus iusculi assue-  
scat omnibus decem diebus sumere ante diluculum sequen-  
tes pillulas.

Recip. pillularum de fumo terræ, pillularum aurearum  
nicol. ana scropulum unum, cum syrupo uiolato fiant pil-  
lulæ numero tres.

Vbi uero forte fortuna his non sanesceret R. S. consulo,  
ut non submittatur inunctioni ex mercurio propter nocu-  
menta, quæ suæ Dominationi facile contingere possent,  
eam autem deuenire ad potum decoctionis aquæ ligni  
Guaicani cum conuenienti ordine & modi, dietæ, non pos-  
sum uituperare, sed summe laudare. &c.

DESCRIPTIO BALNEI FIENDI,

Recip. florum stæcados arab. florum stæcados monta-  
ni betonica, saluia, iua, herbæ paralytis, rorismarini,  
ana



ana M. I. & med. pulegii, calamenti, sampfuci, camedryos, camepityos, ana. M. I. & med. florum chamæmeli, melliloti, aneti, absinthii, feni greci, sem. lini, ana manipulum unum radicam acori, rad. peoniae, galangæ, zedoariae, ana manipulum medium. Rosarum rubearum, granorum mirthi, balustiarum, corticum granatorum, ana manipulum unum misce & bulliant secundum artem, in suff. quan. aquæ usq; ad consumptionem quartæ partis, deinde coletur, & usui seruetur.

Vbi uerò hæc non in totum patientem sanarent, consulo, ut fiant duo, uel unum cauterium in cruribus infra genu per quattuor digitos in parte syluestri, sublime inquâ remedium est tale in omnibus eius affectionibus, quoniã ea conducunt à toto corpore superfluitates, & diu relinquuntur aperta, ut natura assuescat illi parti. &c.

### CVRATIO AD VERTIGINEM.

**C**onsulo, ut R. S. semel in septimana uesperis cum ibit dormitum, capiat sequentes pillulas.

Recip. pillularum de agarico mesuæ, pillularum de iera Nicol. ana scropulum unum, misce cum syrupo uiolato fiant pillulæ numero tres.

Item consulo, ut quotidie per tres horas ante prandiũ capiat de sequenti ellectuario ad quantitatem nucis.

Recip. diagalangæ, aromatici rosati, diadraganti frigidi ana Vnc. I. misce. &c.

### CVRATIO AD HERNIAM INTESTINALEM.

**C**onsulo, ut purgato corpore cum prædictis, & intromissis intestinis, applicet rupturæ de sequenti ceroto quantum expedit, & non amoueat illud per  
triginta



CONSILIUM XXXIX.

triginta dies, & est mirabile, & expertum.

Recip. terræ sigillatæ, mumia, sanguinis humani, sanguinis draconis, ana drach. ii. boli armeni, litargirii, opoponacis, galbani, ana drachm. ii. & med. nucis cupressu, nucis muscatæ, ana drach. i. & med. rosarum rubearum, drach. ii. thuris. drach. med. corticum thuris. drachm. ii. sarco collæ. drach. iii. acatiæ drach. ii. & med. balaustrarum, corticum granatorum, ana. drach. i. & med. consolidæ maioris, consolidæ minoris, drach. i. & med. sanguinis hircini, sanguinis ranarum, ana. drach. i. pellis cum pilis leporis, pellis cum pilis ericii, ana drach. i. & med. gallarum, drachm. i. gipfi, drach. ii. tassi barbasfi. drac. i. & med. picis hyspanicæ. dra. i. gummi helenii, drach. i. & med. masticis, drach. i. & med. consolidæ mediæ. drach. ii. gummi arabici. Vnc. i. dragaganti. Vnc. i. & med. picis græcæ. Vnc. med. colofoniæ. drach. ii. sanguinis uespertilionis drach. ii. pulueris pillorum talpæ. drach. i. pulueris mirthi. Vnc. med. omnia puluerizanda puluerizentur subtiliter, & gummi dissoluantur in aceto forti, & cum oleo de abiete fiat cerotum. Cuius pars extendatur supra corium, & applicetur. &c.

FINIS.





## AD MARASMUM,

Pro Magnifico Francisco Sorego  
Patritio Raguseo,

## Consilium XXXX.



**N**obilis, & Magnificus Dominus Franciscus de Sorego, Patricius Raguseus, marasmo, seu ethica senectutis afficitur. Est quippe in eo consumptio humiditatum totius corporis, cum Dominio prauæ temperaturæ siccæ, & hoc Marasum, seu ethicam senilem dixit Galenus sexto, de locis affectis, capite secundo, & quarto, de causis pulsuum, & Auicenna prima quarti, capite proprio. Cum enim eius affectio fixa sit, ethica nominari consuevit, auctore Galeno libro secundo de crisiibus, capite nono, & in libro, de inæquali temperatura, capite primo, ubi ait. Ethicæ nomen deriuari à fixatione, & est nomen apud græcos, & senilem quidem hanc nominamus. Cum senis temperatura frigida sit, & sicca, auctore Galeno quinto, de sanitatis tutela, & hæc porro affectio frigida est, & sicca, iuxta illud Galeni libro primo, de tabe, capite primo. Tabes est corruptio minuentis corporis ex siccitate, non ab re affectionem hanc ethicam senilem similitudine temperantiæ etatis senilis nominabimus.

## SIGNA.

**I**ndicia autem comperte affectionis in nobilitate sua ex pulsu primo habentur dixit Galenus quarto, de causis pulsuum, capite decimo. Pulsus æthicæ senilis paruum & rarum, & addit Princeps ipsum esse tardum. Sanè secundum omnes has dispositiones, est pulsus S. D. secundum indicium ab habitudine corporis arefactio, & exsiccatio corporis manifesta, & à qualitate mutata, quoniam non



C O N S I L I V M

adest calor, immo ad tactum eius corpus plurimum frigidum percipitur, & ab exeunte mutato, quoniam urina eius secundum plurimum est alba, subtilis, & aquosa, & quia in dispositionibus suis est ueluti senex decrepitus, non ab re his indiciis apparentibus in D. sua, rectè à nobis decretum est, eum laborare senectutis æthica.

C A V S A E .

**N** Empe suæ affectionis causæ primitiua fuerunt, quæcunque extrinsecus ei accedentes admodum exsiccarunt, & præsertim itinera longa, in quibus facile calor intenditur, & corporis humiditates plus consumuntur, quàm sit earum transitus in nutrimentum, & nimia mentis agitatio, & assidua negotiorum sollicitudo, quibus spiritus & calor innatus dissoluuntur, nequeuntes alimentum regere ad bonam concoctionem, & nutritionem, & nimia ambientis frigiditas mortificans naturales facultates membrorum corporis, ueluti anno isto. M D XXXV. accidit Venetiis, ubi tunc temporis Nobilitas sua moram traxit. Causa uerò una de præcedentibus fuit, quam habuit à primis generantibus, quoniam ipse natus est ex matris utero quantitate corporis insigniter paruus, exilis, & ex toto imbecillis, ob quærem à generante omnes eius facultates præsertim naturales debiles ei adfuerunt, & huic causæ iungitur altera extrinseca causa, quoniam plurimum temporis fugit lac nutricis prægnantis, uel nullum, uel paruum succum progignens: Quo fit, ut à principio illaudabili nutrimento totius corporis membra dilaniata sint, extenuataque & ex hac consecuta est alia causa præcedens, quæ fuit debilitas caloris naturalis, & uirtutis nutritiua totius, & corporis partium, & inde resolutio eiusdem caloris, non potentis gubernare nutrimentum. Causa uerò contentiua ægritudinis D. suæ, est temperatura frigida, & sicca, nunc temporis dominantis prauitas in corpore toto, cum imbecillitate totius corporis, quæ à propriis actionibus prohibet uirtutem



uirtutem digestiuam, & nutritiuam. &c.

CURA.

**C**ommunis intentio curationis morbi D. suæ, est ipsius causæ deperditi restauratio, & caloris naturalis augmentatio, & spirituum regeneratio. Quo fiet, ut omnium membrorum facultates præsertim concoctiua, & nutritiua simul concrecant. Completur autem hæc intentio duabus particularibus intentionibus. Prima ex regimine uictus corrente per ablationem, sex rerum non naturalium. Secunda uero ex medicinarum applicatione. &c.

AER.

**P**rimo initium capiat ab aere, cum ipse sit de maxime alterantibus nostra corpora, ut ait Galenus tertio artis medicæ, & dixit nono methodi. Ambiens is est, sine quo nec sanitas teneri, nec morbus tolli potest. Eligat igitur sibi D. sua aerem contrarium qualitati suæ affectionis, & temperaturæ, quæ nunc temporis ei facta ueluti naturalis, quæ cum sit frigida & sicca, aer habitationis suæ debet esse calidus, & humidus, & non sit plurimæ caliditatis aer, plus enim corpus exsiccaret, neque plurimæ humiditatis ne actionem caloris obtundat, & nutritionem impediat. Sit igitur recedens à temperamento per calidum & humidum non multum. Veluti est aer, cuiusdam uillæ in Comitatu Ragusiæ nomine Slano, uel in alia uilla eiusdem Comitatus nomine, Canale. Eligat igitur. D. S. sibi aerem non crassum, & nebulosum, clusumque nullum recipientem per flatum, nec qui ob stagnum foetidum, uel flumen uicinum, turbidus, & nebulosus est aer sibi conuenit, ueluti in suo Comitatu: Aer illius uillæ nominatæ stagno, uel illius nominatæ Vmbla. Ibi enim mixtione dulcis aquæ cum salfa aer uitiatur. Proinde locum, & domum sibi conducat, in quo non sit aer inclusus defectus per flatum sustinens, ille enim aer omni ætati noxius est. Quod si talem aerem calidum, & humidum per naturam non habuerit, ex arte cõ-

LLL ii ficiatur,



ficiatur, faciendo ignem in cubiculo ex lignis de oliua, & de buxo, & de iunipero, & rore marino, & lauro, una simul cum ligno de populo, & salice, ut ab uno caliditatem, ab altero uero humiditatem obtineat, & optimus ignis, ex lignis de pino, & de uitibus.

PANIS.

**P**anis eius plurimum conueniens est ex simila, seu flore farinae confectus, & non sit multum fermentatus, nec salitus, quia est exsiccatius. Et non sit D. sua sollicita in commitione multi panis, quoniam nimium replet, & stomachum grauat, & non sit admodum coctus, ut cruda incoctaue habeat, ambuta uero crustosa, & obarida, Is enim panis deterrimus est, & non sit calidus, & recens unius diei, nec transeat tertiam diem.

VINUM.

**V**inum eius non sit austerum, & acetosum, quoniam natura non amplectitur, nec in eo delectatur, ut ex eo spiritus generari ualeant, & naturalem calorem adaugere, quae sunt instrumenta nutritionis fiendae. Sit igitur album, quia facile penetrabile odoriferum, & amabile id est paucae dulcedinis, ut natura oblectetur in eo, & non sit potens, sed pauciferum.

CARO.

**C**arnes uetustorum, atque pedestrium animalium cauere debet, ut est bubula caro, & uaccina, ut cerui, & capreoli, porci, & uetusti castrati. Carnes autem quadrupedum ei conuenientes sunt, caro uituli lactantis, haedi, agni, castrati circa annum, iuuenes cuniculi. De auibus, ei conueniunt omnes Aues domesticae, quales sunt gallinae non foetantes, galli nondum coeuntes, & mirifice ualent eorum testiculi, capones, & pulli domestici columborum. Aues uero syluestres, quae & sicciores sunt praedictis, quoniam sunt facilis nutrimenti, & boni succi generantes. Ideo D. suae multum



multum conueniunt, tum etiam quoniam ex elixatione siccitatem perdunt, acquirunt humiditatem nutritiuam satis conuenientem ueluti sunt fassiani, perdices, coturnices, frigelle, & etiam omnes auiculæ degentes in arboribus. Quæ uerò in aquis uiuunt sunt omnes malæ, quoniam sunt malæ digestionis, & etiam malum succum progignunt, ut sunt anseres, anates, & similia. Et eius omnes carnes sint elixatæ, & non in ueru toltæ, quoniam tostæ difficulter ad membra penetrant, facile uerò, quæ in aqua sunt elixatæ. Et recordare quod in decoctione suarum carnum semper bulliant pedes uituli, uel agni, uel unius castrati. Et si hæc animalium extrema non habuerit cum suis carnibus ebulliat modicum de gummi arabico, & dragaganto.

Et nota, quòd caro testudinis sic alixata, uel limachiarum cum gummi arabico, & dragaganto. D. S. optimum edulium erit, & melius si in lacte per diem unam prius infundantur, & demum in iure pullæ pinguis elixentur, uel in eodem lacte concoquantur. Item caudæ cancrorum fluuialium in lacte infusæ per diem, & coctæ in iure pingui, sunt ei admodum conuenientes. Item fercula facta ex pane trito in butyro pingui conuenientia sunt, item ferculum illud, quod fit ex uermifellis de pane coctis cum lacte, & zuccharo, & farina risi in iure pingui, est ei ualde utile. Item ferculum ex boragine, & lactuca, coctis, & bene tritis in iure gallinæ pinguis, cum lacte, & zuccharo est multum conueniens, & nota, quod eius cibus non debet esse multus, quia uirtus debilis non potest multum cibum concoquere, sed debet partiri in quatuor uicibus ab inuicem distantibus per sex horas, in prandium scilicet, & cænam, in quibus lautius comedat, in collationem meridianam, & nocturnam, in quibus capiat scutellam unam iuris consumptionis carnis pulli, cum uitello oui recenter nati, & modico cinna-  
momi,



C O N S I L I U M

moni, & oua recenter nata eodem scilicet, die elixata, in aqua sunt ei conuenientia, & non alio modo cocta, & sint tremula, & non dura. Vbi igitur D. S. aliquando non uellet uesci carnibus sit contentus duobus ouis recenter elixatis cum ferculo de antedictis, quia aliquando in nocte loco collationis nocturnæ si uellet sumere sequens condimentum, erit ei utile scilicet, capere. Vnc. iiii. uini albi dulcis non potentis, & Vnc. ii. lactis, & uitellum unius oui, & miscendo omnia leto igne coquantur, & sorbeat de nocte, & nota quod debet conari semper post cenam per unam horam dormire, uel duas, quoniam facit ad impinguandum. Et multo plus debet dormire quam uigilare, quoniam uigilia exsiccat, & somnus humectat.

Nota quod plus debet quiescere, quam exercitari. Quies enim humectat, & exercitium superfluum exsiccat, uolo tamen, ut exercitetur mane, & uesperis per horam ante cibum exercitatione breui, & moderata, ut calor naturalis solum excitetur ad cibum digerendum, & ad superfluum resoluendum.

Nota quod non debet repleri multo cibo, quia uirtus stomachi aggrauata non posset cibum concoquere, sic plus corpus extenuaretur, nec famem sustineat, quia magis exsiccaretur. Vbi uero in aliqua hora fames inualesceret, bonum erit, si assumat unum de infrascriptis morsellis ordinandis.

Nota quod hylari animo uiuere, & suauibus cãtilenis, & non turbari, nec irasci, & semper bene sperare de salute sua est de melioribus rebus pro cura Dominationis suæ.

L A C .

**L**ac D. suæ magis idoneum est muliebre, postea Asinæ, postea capræ, postea ouinum, postea uaccinum. Omne igitur lac est ei conueniens. Sed propter symboleitatem, lac humanum, & propter penetrationem lac asinæ. Consulo, ut in suis condimentis utatur lacte caprino, uel ouino, & uaccino,



& uaccino, pro medicina autem utatur lacte humano, uel asinino, & hæc de ratione uictus dicta sint. &c.

DE EXHIBITIONE MEDICINARVM.

**C**onsulo, quod D. sua quando erit in habitatione, quã ei supra statuimus post tres dies suã quietis capiat in diluculo sequentem medicinam præcedente tamen clysteri infra scripto, facto die præcedente ad diem medicinæ ubi non habeat beneficium uentris.

Reci. foliorum maluæ, uiolaria, florum camomillæ, ana manipulum unũ, bulliant in lib. ii. iuris pullæ ad consumptionem medietatis, & coletur, & colaturæ adde zucchari rub. Vnc. i. & med. olei uiolati. Vnc. iii. salis communis. drach. ii. uitelli oui numero uno, & fiat clysterium de mane stomacho ieiuno.

Sequenti uero die in aurora, capiat hanc medicinam, & dormiat super eam per dimidium horæ.

Recip. Mannæ granatæ electæ. vnc. ii. & med. dissoluatur in iure pullæ, & potui detur. Sequenti uero die incipiat sugere lac à mamilla mulieris, in aurora uidelicet, & in uespere post cibum per horam quando dormire uoluerit, & sugat pro qualibet uice. Vnc. vi. prædicti lactis, & hæc lactis quantitas cognita reseruatur in iudicio suo existimatiuo, & statim sucto lacte dormiat. Sit autem mulier lactans ætatis ab annis uiginti, usque ad triginta, carnosæ, sanguinea, rubei coloris, læta, agilis, & sollicita, eius cibaria sint præcisè, ut D. S. ipsa tamen lautius uiuat, & aliis non utatur cibariis, & caueat ab aceto, & à falsis, & à coitu, & à cibis acutis, ut est piper zinziber, crocus, cinnamomum & similia, & sic continuet suctionem lactis per quadraginta dies continuos.

Vbi uero in his diebus alius eius stricta efficeretur, quod tamen non est credendum: Quia lacte ipso solet uenter  
solui



C O N S I L I U M

solui, consulo, ut alternis diebus ante prandiū fiat sequens clystere. Recip. iuris pullæ lib. i. olei uiolati. Vnc. iii. zuchari rubei. Vnc. i. & med. uitelli oui numero. ii. salis communis. drach. ii. misce, & fiat clystere.

Vbi uerò eisdem diebus dormire non posset, consulo, ut D. S. utatur sequentibus ingeniis.

Primum ingenium est, ut in uesperis quando uult cubare fiant sequentes lotiones à genu infra, & à cubitu ad manus calidæ. Recip. florum chamæmeli, florum uiolarum florum aneti, florum nymphæ, ana manip. i. & med. corticum mandragoræ manip. med. sem. hyosciami albi, Vnc. med. misce, & bulliant in suff. quan. aquæ, ad consumptionem tertiæ partis, & usui seruetur.

Secundum ingenium est, ut facta lotione prædicta, mox ungantur tempora, & pulsus manuum, & pedum cum sequenti unguento. Recip. olei nymphæ, unguenti populeonis. ana. Vnc. med. croci opii, ana gran. iii. misce pro liniamento.

Tertiū, ingenium est, ut cum sequenti uino calido in ingressu lecti diluantur aures, & nares. Recip. uini albi dulcis lib. med. sem. hyosciami albi. drach. ii. misce, & bulliant usque ad consumptionem medietatis, & coletur, & usui referuetur.

Quartum, ingenium est, Quòd si post potum lactis immedieate per horas tres, nō dormiret, capiat infra scriptum potum. Recip. syrapi de papauere, aquæ lactucæ, ana. Vnc. ii. misce pro una uice.

Finitis diebus quadraginta sumptionis lactis mulieris, consulo, ut per decem dies conquiescat ab illo lacte, & quolibet mane alternis diebus una hora capiat sequens clystere. Recip. iuris decoctionis gallinæ pinguis, & pedum, uel capitis castrati lib. i. uitelli oui numero. ii. butyri loti, Vnc. iii. misce sine sale, & fiat clystere.

Illo uerò die quo non capiat clystere, intret balneum sequens



quens in diluculo, & in eo trahat moram per horam, uel ad minus dimidium horæ.

Recip. aquæ dulcis claræ. lib. CCL. capitum arietum, uel castratorum, numero. iiii. pedum castratorum nume. viii. gallinarum pinguium, numero. iiii. bulliant in simul usque ad consumptionem carniū capitum, & aliorum, & illis abiectis D. S. intret toto corpore citra caput tinam dicti balnei calidam, & in exitu à balneo facta aliquali absterfione ungetur totum corpus sequenti oleo.

Recip. olei sisamini, olei amigdalorum dulcium, ana partes æquales, & adhuc modicum iterato ungetur totū corpus excepto stomacho, cum oleo rosato, & statim capiat ciphum unum lactis mulieris recenter mulcti, uel asinæ, uel capræ, uel ciphum unum iuris pinguis caponis, & statim ingrediatur lectum, & duabus dormiat horis, uel ad minus quiescat, si dormire non potuerit, & sic alternis diebus procedat per illos x. dies uno quidem die cum clysteri, altero uerò cum balneo, quoniam in his diebus uirtus humectatiua & resumptiua reperietur.

Post uerò illos x. dies reuertatur ut prius ad lac muliebre, uel asininum, & continuet per alios quadraginta dies, ut supra. Quibus finitis, iterato se exponat balneo & clysteribus ut prius præcise per decem dies continuos, postea iterum se exponat potui lactis procedendo sic modo cum balneo, modo cum lacte per totum hybernum tēpus futurū. Quòd si desiderium non adipiscatur eodem præcisæ modo exponat se his aduentante uere, & futura æstate.

Et nota, quòd D. S. eo tempore, quo potat lac, post lactis sumptionem de mane statim inungat sibi totum corpus excepto stomacho, cum sequenti unguento, & statim dormiat. Recip. olei sisamini, olei amigdalorum dulcium, medullæ spinæ dorsi uituli, butyri recentis loti, lactis mulieris, ana. Vnc. iiii. ceræ albæ quant. suffic. fiat unguentum molle.



C O N S I L I V M

Nota quod illa hora, qua facit collationem diurnam, & nocturnam, quæ est cum assumptione iuris pinguis, consulo, ut capiat. Vnc. i. infra scripti electuarii, & illa hora debet relinquere uitellum oui, non ponendo ipsum in iure illo, quod electuarium est de optime resumentibus tabida corpora, ultra quod iuuat ad somnum. Recip. carnis testudinis nemoralis, carnis pulparum caponis, pulparum fassiani, ana lib. med. contundantur optime, & molentur optime cum aqua unguæ caballine. Deinde Recip. amigdarum dulcium, pinearum, pistaciorum, ana. Vnc. iii. contundantur optime, & cum dicta aqua madefiant, & carnibus misceantur. Deinde Recip. sem. papaueris albi drach. x. ex his fiant emulsiones, & cum aqua nymphææ, & cum prædictis misceantur. Deinde Recip. gummi arabici, dragaganti, ana. Vnc. med. sem. sisamini. drach. ii. penidiarum. Vnc. iii. cinnamomi electi drach. iii. florum boraginis, florum buglossæ, ana. drach. ii. conferuæ corticum citrii. Vnc. i. & med. puluerizentur puluerizanda, & contundantur contundenda, & cum zuccharo dissoluto in aqua uiolata, & unguæ caballinæ conducatur electuarium, cui adde foliorum auri numero decem, uel cum zuccharo dissoluto in aqua uiolata fiat confectio in morsellis. Nota, quod cum isto electuario fieri ferculum D. S. multum conueniens est. Recip. iuris pulli pinguis. Vnc. viii. prædicti electuarii. Vnc. i. & med. lactis ouini, uel caprini, uel uaccini, Vnc. iii. misce, & bulliant unica ebullitione, & est optimum edulium ipsi in prandio usitandum. Et consulo quod prædictum electuarium in itinere secum portet, & de illo comedat quater in die naturali ad quantitatem, Vnc. i. pro uice, uidelicet, in diluculo, in meridie, in ingressu lecti, & in medio noctis, in quo itinere custodiat se à radiis solis, & ab aere nimis calido, ne magis exsiccetur, & caueat à frigore ne mortificetur, & facultas contentiua, & nutritiua magis debilitaretur. Ideo pannis se muniat, usu tamen moderato, & recordetur



Recordetur patiens aufugere phlebotomias, & qualescūq; alias sanguinis missiones quantum fuerit ei possibile, quoniam ex his fit sanguinis euacuatio, quo D. S. plurimum indiget in sui resumptione, quippe & ex his plurimum euanescent spiritus, & admodum naturalis calor debilitatur. Quo fit, ut facultatis concoctricis, & nutritiuae debilitate corpus plus tabescat. Nempe nec medicinis scamoneatis, atque laboriose euacuantibus D. S. submitatur, quoniam in eo magis peccant membra. Et eorum uirtutes, quàm humores, quo fit, ut ab his D. S. plus de iuuatiuo euacuaretur, quam de noxio.

Vnum tamen uolo D. suam obseruare, & est, quod diebus, quibus non capiat lac, capiat. Vnc. viii. infra scripti conditi, & per duas horas supra dormiat, in eo inuenitur intentio humectandi, & facile nutriendi, & sitim extinguendi. Et si quid caloris febrilis ipsum plerumque inuadat ab eo remittetur, & praeseruabitur. Recip. iuris pullae pinguis, lib. i. hordei excorticati, & mundi. Vnc. i. gummi arabici, dragaganti ana. drach. i. misce, & bulliant usque ad consumptionem tertiae partis, & coletur, & patienti detur cum modiculo cinnamomi.

Et Nota, quod si D. S. laboraret alui strictura, & clysteria essent ei fastidiosa, consulo, ut per horam ante prandium aliquando capiat coclear unum sequentis mixturae, qua uentrem excernet, & resumptioni praesidium praestabit non paruum. Recip. mannae electae vnc. ii. penidiarum vnc. ii. olei amigdalorum dulcium recentis vnc. i. & med. iulep uiolati. vnc. ii. misce. Et credat D. S. si salutaribus his praesidiis obtemperabit, bonitate Dei concurrente ad meliorem conduceretur statum. &c.

Benedictus Victorius Fauentinus, Primus ex ordine  
in Gymnasio Patauino in re medica profiteda  
Theoricus sic dixit M D XXXV. XV. Maii.



POLYPI INFOR-  
MATIO.



Btulit se mihi diebus istis casus non minus Nobilis, quam difficilis, & studio diligenti prosequendus. Casus inquam Magnificæ Dominæ Philippæ Vxoris Eximii legum Doctoris Domini Nicolai Randini Foroliuensis amici mei Colendisimi, qui est polypus in nare sinistra: iam sunt octo menses, coloris mixti albi, & rubei, nec ullo modo fusci, uel nigri, nec duri, nec cancerosi notabiliter, & ad tempus quandoque completam respirationem prohibēs per narem dictam sinistram in dicta Nobilissima matrona, à quo quidem humiditates profluunt sine dolore, & qui Polypus quandoque elongatur & crescit, quandoque uerò difficulter apparet, & delitescit ad tempus.

Quod autem nullo modo sit cancer, nec eius principium, sed uerè Polypus, uel hæmorrhoidis nasi, sumemus differentiam positam à Principe inter hæmorrhoidem nasi, & cancerum quinta tertii, dicente, quia caro nata si est post ægritudines in capite, & catarrhos est hæmorrhoidis, si uerò sit post claritatem nasi, & post priuationem cursus, est cancer.

Rasis quoque nono Almanso. capite isto ponit signa similiter distinctiua, quæ pro maiori parte supra, præacta sunt, idem confirmans.

Huiusmodi polypi causam ex dictis latenter habemus, & esse dicimus materiam phlegmaticam catharrhosam à capite reumatizantem uitio malæ complexionis frigidæ cerebri, siue illam à generatione, uel à tempore contractam esse uelimus, nam à capite illius materia quandoque descendit ad crus, ad Tibiam, uel ad humerum, aut ad pectus, & quandoque ad stomachum, & ibi impedimentum facit, & quandoque ad narem descendens elongat



gat polypum, & eum facit descendere, & maxime flante uento Australi incurrit semper notabile nocumentum cum illius prolongatione, & tumore, cuius causa sumatur ab Hippocrate aphorismorum tertia, aphorismo sexto ibi. Austrini flatus grauant caput, & etiam ab Aristotele, prima problematum, problem. uigesimo quarto, ubi quaeritur propter quid in Austris flantibus grauiter se habent homines, tam in uirtute sensitiua, quam motiua. & cet.

Circa praesentem Dominam insudarunt nonnulli ex nostratibus Excellentissimi Viri, uariis, & multis remediis per multos dies, tum per potiones, tum etiam per localia, & ab altero eorum tentata est uia per praecipitatum, & iteratum saepe, a cuius administratione deterioratio, & dolor, cum tumore loci semper sequutus est.

Alter in aquis causticis diuersis confidens nihil profecit, Alius confidens in remedio a se tantopere magnificato, quod est Dioscoridis, capite de Dragunculo maiori & minori. & est Auicennae capite isto. Et Diu quoque Mesue. Practicatur quoque ab Vgone Senensi in Consilio nono, pro eadem cura, & registratur a Mattheo gradi, capite isto, & est succus dragunculi per menses aliquot continuatus, nihil proficui fecit.

Vocatus ego in cura praedictae Nobilissimae Matronae debito sibi regimine ordinato, eidem conuenienti phlebotoomia facta, post longam syruporum, & pillularum iterationem, & eiusdem capitis roborationem, tandem uisum est mihi canonicè, & secundum regulas artis operando, duce Domino Gradi materiam diuertere per cauterium in occipitio, id est in fontanella, ubi collum capiti iungitur, a quo quidem remedio notabile sequutum est iuuamentum, & materia pro parte alleuiata, Nam quae si quidem per nasum solita fluere dictam excrescentiam, & prolongationem



nem caufabat, eadem per uiam hanc intercepta, rari us ad locum dictum confluebat. Veruntamen ſæpe uifum eſt in dicta Domina per experientiam, quod ex flatu auſtrali ſemper deterius ægrotabat, & ita eadem Domina non eſt uoti ſui compos facta, nec ualeitudinem aſſecuta prout ſua, & noſtra mens erat.

Quapropter cum tria inſtrumenta pro ægrotis conquiſcenda ſanitate ſubmiſtrentur, diætã ſcilicet, potio, & manualis operatio, teſte Auicenna quarta primi, capite primo. Cumque piſſimum ſit cuiſibet ægrotanti ſumma cum charitate prouidere, illis ego tantopere magis ſuccurrendum reor, qui mutua inter ſe beneuolentia coniuncti ſunt, qualeis nos ſumus, quique in medico benè confident. Ob id, ne amicitia uinculo deſim, neque illorum in me confidentia fruſtretur, opere precium duxi, ſi poſtremum remedium, & pariter utiliſſimum ſibi addidero, pro ſanitate adipiſcenda quod ſequens erit.

Dixit Rasis nono ad Almanſorem, capite de polypo. Si autem, quod in naribus exoritur caro mollis eſt, fluxerintque ex eis humores, & cum nares ſtringuntur, inueniuntur molles, & cum tanguntur, tactus non ſentitur ſolidus, non eſt timendum, quin ex medicaminibus acutis, & ferro mederi poſſit.

Dixit Auicenna quinta tertii, capite iſto, quæ ſunt ex diuiſione prima. S. molles, & albæ incidantur cum cultello paruo, quæ uerò ſunt ex diuiſione ſecunda. S. rubæ, melius eſt, ut coquantur, aut cum medicinis acutis, aut cum igne, aut cum cauterio paruo ignito.

Diuus Meſuæ hanc ſententiam acceptat, & ea utitur in praxi. Idem docet Excellentiſſimus Nicolus flor. ſer. drac. ir. ſeptimo, & ſer. VII. ir. tertio, ſumma ſecunda, capite uigeſimo ſeptimo.

Eandem opinionem ſequitur Mattheus Gradi, & in coſecit bonam aduertentiam pro medicis notandam. Et  
iſte



iste est communis fere' omnium excellentium uirorum.

Postremo addo quod cauterizatio in isto casu conueniat ex diffinitione, Auicennæ quarta primi, capite proprio dicentis. Cauterizatio est medicamen ualde utile iuuans ad prohibendum, ne corruptio spargatur, & ad confortandum membrum, cuius complexionem uolumus rectificare.

Super quem locum notat Excellenter Vgo Senensis vir insignis, quod complexio, quæ uigoratur per cauterium, maxime est complexio frigida, & humida materialis, qualis nostro in casu, cum cauterium sui calore & siccitate opponatur illi malæ complexionem, cum etiam resolueno abiiciat illam, propter auctoritatem tantorum illustrium uirorum, cogor ad tenendum, cauterium actuale immissum per narem secundum artem à prudenti Chyrurgo esse cōsumptiuum, & eradicatiuum istius materiei, & adeo loci corroboratiuum, ut amplius non sit reuersura, addito tamen, ut complexio capitis istius Dominae in totum ad contrarium permutetur, & perficiatur necessarium, immo impossibile fore, quin dicta Domina trasferat se ad Duciam naturalem, habentem uim talem qualitatem imprimendi in eo, & consumendi dictam materiam, Quales Ducia sunt Senenses, est etiam Sancta Maria in Bagno Romandiola. Aliter cum catarrhus sit origo, & causa omnium suarum ægitudinum, & Dominetur huic Magnificæ Dominae pro maiori parte, prout supra, & in quacunque partem corporis descendat, eidem sit dominaturus, & reliquas corporis operationes impediturus, propter hæc, & per supra dictam ægitudinem Duciam naturalem postremo suo capiti conuenientissimam fore adiudicauit, & consilium ei dedi.

Ad Excellentiam tuam, qui es medicorum Cephæ, splendor, & medicinae decus refugium habemus omnia secundum prudentiam tuam moderaberis, & quam nobis

bis



POLYPI INFORMATIO

bis uiam ostendes, cam sequemur, nec ab ea ( sicuti nostra interest ) inquam diuertemus. Vale, & Speronum alumnus tuum ( sicuti soles ) ama, qui te colit, & obseruat.

Excellentissimæ tuæ obsequentissimus filius:

Ioan. Baptista Speronus

Imolensis Physicus.

AD POLYPVM

Pro Philippa Nobilissima Matrona & Vxore  
clarissimi iuris utriusque periti

Nicolai Randini Foro-  
liuensis,

Consilium XXXXI.



Vbium mihi proponitur ab Excellence Doctore, & experto Chyrurgico, in uerēdo casu Nobilissimæ Matronæ, Dominae Philippæ Vxoris clarissimi utriusq; Iur. Doctoris Domini Nicolai Randini Forliuensis amici, & fratris carissimi.

Vtrum in Polypi curatione post infinita ingenia, quibus iam multi medici usi fuerunt, & non contulere, deueniendum sit ad manum Chyrurgicam, quidque agendum sit finito opere manuali, ut Nobilissima hæc Domina conseruetur adepta sanitate, & præseruetur, ne iterato in eandem concidat affectionem.

Huic respondeo, per duo capita. Primum fundabit cognitionem



gnitionem rei, secundum uerò petito satisfaciet.

Quantum ad primum. Sit primum nostri fundamentum hoc, quod ægritudo, qua Domina hæc tenetur, uere Polypus est, dico hoc, quoniam narium affectiones tres genere sunt, uidelicet, Polypus, sarcoma, & ozæna, dixit hoc Galenus in libro de diffinitionibus medicis. Volens & ipse intelligere nomina sarcoma, quod nasi hæmorrhoides nominauit Princeps tertio canone, fen. quinta tractatu secundo. Dixit enim Galenus, sarcoma est incrementum carnis in naribus præter naturam, ubi & Princeps idem dixit, cum ait. Hæmorrhoides quidem sunt carnes additæ nascētes. Vbi igitur generaliter loquamur sarcoma comprehendet Polypum, & cancrum, si uerò specialiter sarcoma magnitudine sola distat à Polypo, ut dixit Galenus. Vna enim medicinarum intentione curabuntur Polypus, & sarcoma ut asseruit Auicenna ibidem, capite undecimo. Et Paulus libro tertio artis curatiuæ, capite uigesimo quarto. Nempe cum non ozæna sit illa, à qua in naribus hæc Domina tenetur, affectio, propterea, quoniam ulcere priuatur. Et dixit Galenus in de diffinitionibus medicis, ozæna est exulceratio in naribus, in immo foetens, & graue olens, & Aetius libro sexto, de re medica dixit, capite decimo nono. Sicut è genere ulcerum ozenæ. Et Paulus, lib. tertio, artis medendi, ubi ait ozæna uerò ulcus est carnosum, ac putridū, & quoniam patiens in naribus nullo tenetur ulcere, nequaquam igitur ozæna turbatur, neque cæcro tenetur in naribus mulier hæc, quoniam & si tumor inæqualis sit, non tamen asper est, & foedus, subliuidus, neque dolore infestans. Hæc enim cancri essentiam tollunt, ut est Galeni sermo in libro de differentiis morborum, & Hippocratis in libro, de fracturis, & Pauli sexto methodi curatiuæ, capite quadragesimo quinto.

Relinquitur igitur Nobilē hanc Dominam Polypo uel sarcomate in naribus teneri, propter ea indicia de quibus



doctus Chyrurgicus me certiore fecit. Cuius recta mens confirmatur à Galeno in de diffinitionibus medicis, & à Paulo sexto, artis, capite uigesimo quinto, & ab Aetio sexto, artis medicatiuæ, capite. XCI. Pro confesso enim habent Polypum esse tumorem præter naturam, qui in naribus concrefcit, qui substantiæ proprietate, colore, & consistencia polypi marini carnibus similatur, de quo sermonē habuit Hippocrates secundo de ratione uictus.

Secundum fundamentum principale est Polypum ipsum ex crassis, lentisque humoribus originem trahere, dixit hoc Galenus in primo, de symptomatum causis, & Aetius, ut supra, & hii crassi, lenti que humores, ut dixit Princeps quinta tertii, sequuntur ægri tudines capitis & catarrhos. Quo fit, ut Polypus distet à cancro, in causa sui ortus, ab atra enim bile connascitur cancer, ut Dixit Galenus in libro de morborum differentiis, & nō sequitur catarrhos sed claritatem nasi, & ægri tudines capitis melancholicas, ut dixit Auicenna.

Tertium fundamentum est, ubi humores crassi, & lenti à quibus Polypus connascitur molles sint, mollemque tumorem præternaturam in naribus progignant, illius facilis est curatio, molle enim & resolutioni obedit, & incisioni, atque abrasioni. Vbi uerò humores, à quibus Polypus originem habet impacti, densique sint, quibus tumor præter naturam in naribus progignatur asper, durusque, eius certè difficilis est curatio.

Quartum fundamentum est, Nobilem hanc mulierem conuenienti uictus rationi iam submissam fore, eamque diligenti cura obseruasse, sicut decet, cum dixerit Galenus, in libro experimentorum, capite ultimo, nobilium instrumentum curationis morborum esse uictus rationem.

Quintum fundamentum est, eandem Dominam multis, & uariis ingeniis usam fuisse; quibus nullum speratum iuuamentum adepta est.



Secundum caput petitioni satisfaciet, per primam hanc conclusionem Polypi, qui asperi, & duri, & subliuidi, atq; maligni sunt, & laborantibus naribus obstructionem & respirandi, & loquendi difficultatem ingerunt, manu Chyrurgica tangendi non sunt, cum enim ad cancrum tendentes sunt. Dixit Galenus sexto aphorismorum, commento trigesimo octauo. Hos curatione, quæ per sectionem, uel uisionem fit, iussit Hippocrates, non curare melius esse. Et dixit Galenus decimo quarto, methodi curatiuæ. Cæterum si quando catharrum per Chyrurgiam curare audebis &c. pondera uerbum audebis. Eandem sententiam uidebis à Paulo sexto artis, capite uigesimo quinto. Et dixit Auicenna, cuius uia est, blandimentum sine incisione, & rasione.

Secunda conclusio est Polypi, qui teneriores, & laxiores, atque torpentes, neque maligni, utpote ad cancrum, non tendunt, manu Chyrurgica sunt admouendi. Conclusionem hanc habes ab Hippocrate, secundo libro de morbis, ibi ab eo plura inuenies ingenia secandi, uel urendi, uel abrodendi polypos cuiusuis naturæ fuerint, & eadem dixit Paulo sexto, artis, capite uigesimo quinto, ibique expresit Chyrurgiæ modum, quo facile quis poterit uti. Eandem conclusionem dixit Galenus, in libro introductio, seu medicus, capite penultimo. Vbi ait, ut in naribus Polypum, qui in naribus nascitur acuto ferramento ab osse resoluimus, & nouacula postea radices demetimus. Corollarium ex hac sequitur cum Nobilis hæc Matrona, in naribus Polypum patiens, Polypi indicia teneat, ut Excellens Medicus me certior fecit, quibus indubie Polypus suæ Dominationis tenerior, & laxior, & torpens, & non malignus sit. Ideo lata mente uenio in eandem sententiam, quam scientissime habet expertus, & Doctus Chyrurgicus Iohannes Baptista Speronus, mihi ut Filius, & di-



lectus, uidelicet, Dominam hanc sic affectam, curandam fore manu urente, uel incisoria, cum dei auxilio.

Tertia conclusio. Priusquam Nobilis hæc Domina operi se submittat manuali, regimine medicinali regenda est iuxta præceptum Galeni tertio, artis medicæ, & decimo quarto methodi curatiuæ, ubi edocet nos modum purgationis obseruandum, priusquam canceri curam tentemus, manu Chyrurgica, ubi ait. Cæterum si quando cancerum per Chyrurgiam curare audebis, cœpisse quidem ab uacuando per purgationem melancholico humore oportebit, & hanc mentem habuit Aetius sexto, artis medicatiuæ capi. XCIII. ubi ait. Vbi igitur, cum his, quæ proximè diximus, caput recte firmaueris, ad nasi curationem accedes. Idem quoque uoluit Auicenna quinta tertii, tractatu secundo, capite decimo secundo, ubi ait Alarnabet, uel Alarbian uerò est rectius, ut curetur cura manus, & illud quidem post diminutionem repletionis à corpore, & à capite.

Corollarium ex hac sequitur, quòd cum polypus ex crassis, uiscidisque humoribus originem habet, & maxime à capite defluentes ad nasum, ut iam dictum est prius amoueatur repletio cum pillulis cochiis, quibus iungatur uirtus ex elleboro, prius tamen humoris coctio præcedat ex oxymellite simpl. uel composito cum syrupo de betonica, uel de stacade, & melle rosato.

Quarta conclusio, Vbi Nobilis mulier forte incisoriã manum, uel ustiã non uoluerit admittere, quoniam uitium est ex capite ab humoribus crassis, frigidis & glutinosiss. Certe mundato corpore toto, atque capite, ut dictum est, Iuberem Nobilitatem suã aggredi Balnea sulphurea, uel aluminosa non fugientia uirtutem nitrosam, eorumque potu non utatur, sed sola Ducia ad commissuram coronalem, ut sunt Balnea Sanctæ Mariæ in Romandiola, uel Apponensia apud Patauium, uel Pitrioli, aut Sancti Philippi in Comitatu Senarum, quæ sunt fortiora,



tiora, seruatis seruandis, ut ei balnea hæc facerrima dicantur.

Corollarium sequitur ex hac. Vbi etiam Nobilis hæc Domina uestioni uel incisioni obediret, firmato uulnere, Consularem eam dicta aggredi Balnea, est enim caput origo suæ affectionis, cuius uitia admodum his Balneis corriguntur. Ad laudem dei. Amen.

Benedictus Victorius Fautentinus, dum primus ex ordine medicinæ theoreticam in Patauino Gymnasio profiteretur sic Dixit. & cet.

FINIS.



AD ORIS ET NASI  
fœtorem,

Consilium XXXXII.



Vm alias consultum fuit per me in casu Nobilis Adolescentis Germani affecti fœtore oris, & nasi, prout fœtor ille est nocu- mētū sensus odoratus, Quo ad ea quæ parti Theoricæ attinebant. Nūc uerò ut exqu- sitè illius affectionis curatio Deo uolente optimum adipiscatur finem, ea tantum conducam, quæ il- lius affectionis actum practicum concernunt, ut nostris sa- lutaribus remediis D.S. obtemperans liberè fanescat.

Consulo igitur primum, ut hyberno tempore peractò, & uere succedente, in illius principio sequenti utatur pur- gatione.

NNNn iii In



CONSILIUM

In primis fiat causæ præcedentis minoratio, sumpto sequenti bolo mane priusquam quinque horis uentriculum impleat, paulumque subdormiendo. &c.

Recip. hyeræ simpl. Galeni. drachm. IX. fiat bolus cum zuccharo. &c.

Sequenti uerò die apud diluculum quolibet mane septem diebus continuis, sorbeat infra scriptum syrupum calidum superdormiendo.

Recip. oxymellis simpl. syrupi de hyssopo, mellis rosa. col. Vnc. med. aquarum maioranæ, betonicæ, buglossæ, an. vnc. i. misce. Tempore, quo his purgabitur syrupis, si illius aluus adstricta fuerit, quotidie imponatur sequens clystere.

Recip. foliorum maluæ, bis maluæ, mercurialis, florum stæcados, ana manipulum unum, furfuris ligati in petia manipul. ii. bulliant in suffi. quan. aquæ usque ad consumptionem medietatis, & colentur, & de colatura Recip. lib. i. hyeræ simpl. drachm. VI. mellis rosati col. Vnc. ii. & med. zucchari rubei. Vnc. i. & med. uitelli oui numero. i. salis communis. drach. ii. olei communis. Vnc. iii. misce, & ieiuno stomacho iniiciatur clystere.

Eodem quoque tempore cum post somnum surrexerit, utatur sequenti caputpurgio calido.

Recip. aquæ hordei. Vnc. ii. olei amigdalorum dulcium Vnc. med. zucchari albisimi puluerizati. drach. i. cinnamomi puluerizati. drach. med. misce, & his omnibus bene agitata quantitate sufficientem sursum per nares trahat sequentis liquoris, post uero statim & semel trahat sequentem liquorem.

Recip. lactis uaccini. Vnc. ii. aquæ uiolatæ. Vnc. med. misce, & aduertat patiens, quod ita sursum trahendo per nares in ore semper detineat haustum aquæ, ne caputpurgium per colatorium in os irruat. Demum eodem tempore quo patiens syrupos capit, uesperis cum uult dormire inungat sibi cavitatem nasi intra duos oculos descendendo



do sequenti inunctione Recip. succi pomorum dulcimum,  
olei uiolati, olei amigdalorum dulcium, butyri recentis,  
medullæ crurum uituli, ana Vnc. med. ceræ albæ quan. suff.  
& fiat unguentum molle.

Octauo uerò die succedente post syrupos capiat infra-  
scriptam medicinam duabus horis ante lucem.

Recip. Diasebesten lenitiui. Vnc. i. ellectuarii de succo  
rosarum. drach. ii. & med. specierum ieræ simpl. drachm. i.  
misce, & fiat bolus cum zuccharo. Sumpta medicina quie-  
scat patiens per quattuor dies, in quibus de mane ieiuno  
stomacho, sollicitet sequens caputpurgium.

Recip. succi pomorum dulcium, succi althææ, succi ma-  
ioranæ, ana Vnc. i. storacis, ambra, ana grana. iii. misce, &  
sursum per nares trahatur calidum.

Quinto uerò iterato patiens purgetur, & in primis per  
sex dies cōtinuos capiat sequentem syrupum in diluculo.

Recip. syrupi de stæcade sine speciebus, syrupi de hyssop-  
po, oxymellis compositi, ana Vnc. med. aquarum saluiæ,  
betonicæ, buglossæ. ana. Vnc. i. misce. His uerò diebus, qui-  
bus syrupos capit, consulo ipsum uti sequentibus reme-  
diis. Primum est, ut alternis diebus de mane utatur se-  
quenti clystere.

Recip. foliorum maluæ, uiolaria, florum stæcados, beto-  
nicæ, ana manipulum unum, bulliant, & colentur, & de co-  
latura Recip. lib. i. hyeræ logodionis. Vnc. i. olei rutæ. vnc.  
iii. zucchari rubei Vnc. i. & med. uitelli oui numero unū,  
salis communis. drach. ii. misce, & fiat clystere. Secun-  
dum remedium est, ut omni mane, quo non utitur clyste-  
ri, fiant sibi fortes frictions sursum incipiendo à collo, us-  
que ad pedes deorsum trahendo.

Tertium remedium est, ut omni uesperis cum uult dor-  
mire post cænam, abluat sibi crura à genu infra, & brachia  
à cubitu infra cum sequenti lotionem calida.

Recip. florum chamæmeli, florum stæcados, maio-  
ranæ,



ranæ, saluiæ, roris marini, betonica, pulegii, calamenti,  
ana manipulum unum, misce, & fiat decoctio.

Quartum remedium est, ut omni mane utatur sequenti  
caputpurgio calido, sursum per nares trahendo.

Recip. succi foliorum enulæ, succi maioranæ, ana. vnc. iii.  
castorei, nigellæ, ana drach. i. puluerizentur puluerizanda,  
& misceantur, & immediate post hoc caputpurgium quo  
tidie factum sursum per nares trahat sequentem liquorem  
calidum, Recip. lactis uaccini. Vnc. ii. storacis puluerizata.  
drach. i. & med. misce.

Quintum remedium est, ut omni uesperis ungat sibi ca-  
uitatem nasi, ut supra, cum dicto unguento.

Septimo uero die succedente post syrupos capiat se-  
quentem medicinam per duas horas ante lucem. Recip.  
diacatholiconis, diasenæ lenitiui, ana Vnc. med. hyeræ lo-  
godionis drach. iii. misce, & fiat bolus. Permeante uero ue-  
ris tempore antequam principium æstatis ad nos accedat,  
consulo, ut sequentibus utatur remediis.

Primum remedium est, ut alternis diebus modo, & or-  
dine ut supra, utatur sequenti caputpurgio, prius uero be-  
ne diluendo nares cum uino albo odorifero, & sursum  
per nares trahendo.

Reci. ambra, styracis, musci, ana. gran. iii. dissoluantur in  
aqua distillationis florum citrii, & sursum trahatur calida,  
post uero sursum per nares trahat sequentem liquorem.  
Recip. lactis. Vnc. ii. musci gran. iii. misce.

Secundum remedium est, ut semel in decem diebus ca-  
piat in ingressu, lecti infra scriptum bolum. Recip. turbith  
boni. drach. i. zinziberis uiridis. drachm. ii. zucchari rosati.  
drach. ii. & med. misce.

Tertium remedium est, ut omni mane per duas horas  
ante cibum, capiat. drach. iii. infra scriptæ mixturæ.

Recip. diagalangæ. vnc. ii. diamusci dulcis. vnc. i. zuccha-  
ri rosati. vnc. i. & med. misce, & fiat mixtura. &c.

Quartum



Quartum uerò Remedium est, ut semper inungat sibi  
cauitatem nasi, modo, & ordine ut supra. &c.

Accedente uerò æstatis tempore. Consulo, ut patiens  
quiescat ab operibus artis medicinæ, & regat se exercitio  
laudabili, & non superfluo, & modestè cibetur, & modestis-  
sime bibat, & eius uinum sit album, & mediocre, non im-  
mune ab aliqua aromaticitate. &c.

Accedente autumnii tempore, iubeo, ut illius initio ite-  
ratò purgetur, & per septem dies capiat in diluculo sequē-  
tem syrupum.

Recip. oxymellis compositi, syrupi de endiuia, de hyffo-  
po, de prasio, ana Vnc. med. aquarum betonicæ, saluiæ ci-  
chorii, ana Vnc. i. & med. misce.

Octauo uerò die in medio noctis capiat sequentes pil-  
lulas.

Recip. pillularum cocchiarum almanforis, pillularum  
aurearum Nicolai, ana drac. med. fiant pillulæ numero. iiii.  
cum syrupo uiolato. Euacuato uerò corpore, iubeo, ut al-  
ternis diebus, utatur sequenti caputpurgio, prius cum ui-  
no albo odorifero naribus benè dilutis ut supra.

Recip. urinæ asini. Vnc. ii. styracis puluerizatæ, drach. i.  
misce. Postea sursum per nares trahatur lac cum musco,  
ut supra.

Demum Consulo, ut per autumnum, & hybernum tem-  
pus semel in septimana apud diluculum capiat infra scri-  
ptum bolum.

Recip. Terebintinæ lotæ cum aqua maioranæ. vnc. med.  
Turbit boni subtiliter puluerizati scropulū unum misce.

Permeante uero autumnno, & hyberno tempore succe-  
dente, consulo, ut de remediis suprascriptis, modo isto, mo-  
do illo utatur, secundum quòd ei uidebitur, quoniam &  
omnibus temporibus conuenientissima sunt. &c.

Vbi uerò patiens his non curetur, consulo, ut fiat ei  
hoc sublime remedium, & est curere loca, quæ sunt post  
aures



CONSILIUM XLII.

aures, & diu tenere aperta, scilicet per sex, uel octo men-  
ses. Eo etiam tempore non prætermittat D. S. exercita-  
re remedia, quæ iam scripta supra sunt, quæ etiam hyber-  
no conueniunt tempore, & bene speret, quoniam hæc re-  
medio Deo fauente complementum curationis condu-  
cent, & speratum finem patiens breui adipiscetur, ad il-  
lius gloriam, qui nostra corpora gubernat, & direxit men-  
tem meam ad hæc remedia apud me salubriora forte,  
quam potus decoctionis ligni sancti, uel aquæ Ther-  
marum naturalium, quæ tamen a nobis in alio  
Consilio non fuere neglectæ. & cet.

FINIS.





# REGISTRVM

\* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V  
X Y Z AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL  
MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ  
AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III  
KKK LLL MMM NNN OOO PPP QQQ RRR  
SSS TTT VVV XXX YYY ZZZ AAAa BBBb  
CCCC DDDD EEEE FFFF GGGg HHHh IIIi  
KKKk LLLl MMMm NNNn

Oēs sunt duerniones, prater \* & NNNn qui est ternio.



Venetiis, in officina Erasiana, apud Vincentium  
Valgrisium. M D L I.













1200-



Tu qui librum hunc legis diligenter lege  
Si illum bene legeris. Doctus eris & meo consilio uteris

Hec est virga

Tu qui librum hunc legeris diligenter lege  
Si illum bene legeris Doctus eris & meo consilio uteris

Secunda est conclusio polypi qui teneriores & laxiores argue  
torpentes neque maligni utpote ad cancerum non tendunt man  
chirurgica sunt ad movendi Conclusionem hanc habes ab Hippocrate  
secundo libro de morbis ibi ab eo plura inuenies ingenia Seca  
vel urendi vel abrodendi polipos cuiusvis nature fuerint et  
dixit paulo sexto, artis Capite bigesimo sexto ibique express  
chirurgia modum que facile quis poteris vbi Eadem Conclusionem  
dixit Galenus in libro introductio seu medicus Capite penultimo  
ait ut in naris polypum qui in naribus nascitur acuto feram  
ab osse resolvimus et novacula postea radices demelimus



1200-



Farentinus Benedictus Victorius, Medici-  
nalia consilia ..., Venetiis 1551 /WAM/